

*Lat.*



Hick

M

C. D.  
DISSERTATIO HISTORICA  
DE  
**ORIGINIBUS**  
**PRUSSICIS,**  
quam  
Consentientibus Superioribus

PRÆSIDE  
**M. CHRISTOPHORO Hartknoch/**  
Prusso.

*Publico Eruditorum examini  
submittit.*

**WOLFGANGUS CHRISTOPHORUS**  
à Nettelhorst.

*Ad diem Septembrae  
horis locoque solitis.*

---

REGIOMONTI,

Typis, FRIDERICI REUSNERI, SER. ELECT.  
BRAND. & ACAD. TYPOGR. ANNO M DC LXXIV.

*Ex lib. Pp. Orienti Camaldulens. Montis Regi ippe Virgina*

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI  
**ELECTORIS BRANDENBURGICI &c.**  
Supremis Summi Prussiaci Regiminis Consiliariis, Viris  
Per-Illustribus, Magnificis ac Genero-  
sissimis

**DN. JOANNI ERNESTO**  
à WALLENRODT,  
Supremo Provinciae Magistro, Hæreditario Domino in  
Pachollen/ Prekelwitz/ Alt-Stadt/ Königs-See/ Jrgelaken/  
Wilkienen/ Neuendorff/ Eipe/ &c.  
Ut &

**DN. JOANNI DIETERICO**  
à TETTAW,  
Cancellario & Supremi Tribunalis Præsidi,  
Hæreditario Dn. in Wiecken/ Döben/ &c.

Fautoribus meis ac Dominis Gratiostissimis.

**Q**uod olim Lacertosos quosq; Olympiaci pulveris Palæstritas factitasse  
comperio, qui gygantais suis humeris immensam adjecturi firmitatem, Ceroma-  
tese inungebant, ac robore collipio pugnaturi sese confortabant; Idem & Ego  
eruditæ verificatione decertaturus facio, non Leoninis cum Achille medullis enuritus,  
nec Achæmenide fugatrice herba, aut Alektoriam, victorioso Lapide instructus, sed Ve-  
stra benevolentia Clypeatus, emasculati licet animi forem, latu hoc prælium capessō.  
Et certè licet severiorem Scopticæ Aristarchi censuram fugerent he pagella, non securius  
tamens sub Ajacis Clypeo, aut contegente Umbone, quam sub vestra patrocinante umbra  
delitescerent. Ego interim Casiodorum securus sic admonentem: Perdius & pernox  
Patrum memorias revolve: scrutare Gentis tuæ incunabula: Res gestas & An-  
naliū monumenta observa, turpe enim est in Patria sua peregrinum agere: Has  
levidense pagellas ut Vestrarum quoque Illustrium familiarum Ephemerides ea qua  
par est dedicati animi submissione dicare atq; inscribere volui debui

Illustrium Dominationum Vestrarum

subjectissimus Servus

**WOLFGANGUS CHRISTOPHORUS**  
à Etzelhorst.

K. III. 48. (a)

C. D.

*De Originibus Prussicis.*

I.

Mnibus ferè populis hoc in Patriam innatum est studium, ut genti suæ authoritatem dignitatemque aliquam conciliatur, ab ultima eandem accerere nitantur antiquitate. Hinc etiam, ut varias gentium migrationes, sediumque mutationes, varias item genealogias, ad propositum facientes, reddant probabiles, multas non raro fabulas solent comminisci. Nobis talia plurima suppetunt, quibus cum quâvis aliâ gente Europâ de antiquitate certare possemus. Sed fabulas perosi, non cuivis opinioni calculum nostrum adjiciemus. Hoc itaque sedulò acturi sumus, ut rejectis primò falsis opinionibus, in veras postea Prussicæ gentis Origines inquiramus. Et ut hinc tractationis nostræ initium fiat, producimus primo loco opinionem Joannis Annii Viterbiensis de Prussia. Hic autem Prusos deducit à NOACHO Patriarcha, dum refert Noachi filiam fuisse Araxam matrem Scythæ, cuius filius dicitur fuisse PRUTUS, à quo Prussia dicta. Sed lubet audire verba ipsa Annii: Araxa, inquit, prisca fuit filia Jani sive Noæ, mater prisci Scythæ, à qua Araxis fluuius in Armenia, qua prisca Scythia dicta est, & Aramea Saga, ut sepius diximus. Hec Araxa comi homine ardenti simul libidine mixta fingitur semivipera. De qua Diodorus in tertio libro: Dicunt, inquit, Scytha per modum fabula natam apud se Virginem ex terra scilicet Vesta, umbilico tenus hominis formâ, reliqua viperæ, eamque genuisse puerū cuius nomen sit Scythæ (à quo dicti sunt Scytha) i.e. primus & ante alios,

A

alios, quod antecedentes præces ferit claritate. Sed hæc expositio  
Diodori non est illa præcipua, quia Scytha i. e. primus & antè alios  
dictus est, quia apud Araxin fluvium mater Araxa illum ge-  
nuit, ubi post diluvium prima gens & antè omnes nata consedit  
ibidem ex historiæ Scythica. Et subdit Diodorus: Scytha filii fue-  
runt Prutus & Napis, à quibus dōverso imperio, populis uterque  
nomen dedit. Nota quod in Scythia regnavit Prutus, à quo Prus-  
sia magnum regnum, quod nunc conversa litera s in f dicunt  
Prusiam. Hæc ille in Comment ad lib. II. Berosi ( illius si-  
ctitii ) pag. 19. a. b. Praeclarum sane antiquitatis Prussicæ te-  
stimonium, si modo aliquid veri contineret. Sed nobis non  
est dubium, illud ab Annio confictum esse. Diodorus enim  
Siculus, quem sibi in Patrocinio vocat, nihil habet de Pru-  
to; sed hoc tantum dicit: *Inter posteros hujus Regis (Scythæ)*  
*duo extiterunt fratres virtutis eximie, quorum uni PALO, al-*  
*teri NAPÆ nomen erat.* H̄i post multas res præclarè gestas,  
regnig, partitionem alios PALOS. alios NAPOS de se nomina-  
runt. Lib. II. (non III. ut Annus allegat). Biblioth. cap.  
XLIII. p. 123. Edit. Lat. Hanov. An. 1611. & fol. 82. Edit. Gra-  
eco-Lat. Henr. Stephani. Sed nihil novi est Annio Viterbiensi  
cum fictitio suo Berozo nomina comminisci, à quibus po-  
pulos deinde derivare possit. Specimen hujus artificii vi-  
deatur apud Beat. Rhenanum lib. III. Rerum German. pag.  
347. seqq. ubi de nominibus propriis Veterum Germano-  
rum agitur.

II. Non multo recentiorem faciunt Prussicam gentem,  
qui ipsam ab ISRAELITIS deducunt à Salmanassare in capti-  
vitatem abductis. Qua de re Joannes Funccius Pastor Regio-  
monti Palæopolitanus in Commentar. ad Chronol. suam  
lib. X. ad An. Chr. 1217. de Prussis Veteribus: *Populus a-*  
*grestris, inquit, & Demoniorum cultui deditus in ea terra habi-*  
*tabat. Quod reliquia in hodiernum diem testantur.* Religio-  
sum

summa cum Mosis institutione de sacrando & immolando birc  
in festo Propitiationis in multis conveniebat. Quem sacrifican-  
di birc morem Sudavii (qui in Sembia ad mare habitant, ubi &  
succinum eorum opera hauritur ex mediis fluctibus) ad hunc  
diem (licet manifeste non auferint, probibente eorum nefas pie  
Principi Alberto) observare dicuntur. Hinc est quod quidam  
putant hujus populi Originem à Judais vel Israclitis à Salma-  
nasare abductis esse, de quibus alias copiosius dicendum esse  
nisi Sabini operam expectarem, qui, ut supra dixi, res Ordinis  
conscriptere dicitur: Et ad An. mund. 3370. Authorem hujus  
opinionis dicit fuisse Andream Osiandrum, aliasque op-  
pinionis hujus adjungit causas, quando ait: Atq. hinc est quod  
Reverendus Dominus Osiander putat, populos illos qui Lithuania-  
m & Borussia aliquando habitarunt, quorum adhuc me-  
diocris multitudo in Borussia, ortum suum habuisse. Cuius con-  
jectura hanc insirma argumenta sunt, tam lingua, quam veteres  
eorum ceremoniae & Religio. Alias adhuc conjecturæ illius ra-  
tiones legimus apud Severinum Göbelium Sereniss. Alber-  
ti March. Brand. Ducis Prussiæ Archiatrum, in tractatu, cui  
tit. Einfältiger jedoch gründlicher Bericht und Bedencken vom  
Ursprung des Agadt oder Börnsteins &c. Licet Judæos non à  
Salmanassare abductos sed post excidiū per Titum Vespas.  
Imp. factum hoc concessisse ex illo colligi possit: Sic vero  
cap. III. hac de re scribit: Solch Volk (in Sudinia) ist ein  
heißflang ziemlich hart gehalten mehr entheil ihr Abgötterey hale-  
ben/ oder Anrufung der unvernünftigen Creaturen / Böcke/  
Schlangen/in Errichtung vieler Götter und Heiligen/ davon  
mansi lange Jahre heronicht wol bringen können. Denn weil  
sie an der Seekante wohnen und den Halsstarrigen Ort an sich  
geholt haben/ welche Halsstarrigkeit von der H. Schrift sonst  
den Jüden beigelegt/ hat mancher erachtet/ es würden die Leut-  
lein nach der erschrecklichen Zerstörung Jerusalem/ da viel Jüden

auff die Schiff geflohen und von den Winden hin und wieder verschlagen worden/etliche von den überbliebenen an diese Orth Landes angetrieben seyn/ und allda in ihren Fischer-Büdlein ihre Nahrung gesucht/insonderheit weil sie noch in ihrem alten Klages lied den Namen Jeru , Jeru , als Jerusalem / oft wiederholen und flâglichen singen. Edidit hunc tractatum Author An. 1567. Filius autem ipsius Severinus Göbelius M.D. alteram editionem procuravit An. 1616. Ex his iam audivimus causas hujus opinionis, quas breviter examinare iuber. De lingua Veteri Prussica, ut primo loco dicamus, eam adhuc nemo præter Funcium Hebraicæ esse similem asseruit. Deinde si hoc verum esset, eadem facilitate Lithvanicam , Curnicam & Livonicam ex Hebraica ortas esse probari posset, cum quibus vetus Prussica ferè conveniebat. Ex religione Veterum Prusorum an probari possit illos fuisse originis Israeliticæ, ego non video, cum Prussi fuerint maximi Idololatræ, Solem, Lunam, Stellas, Sylvas, Serpentes, immo ipsos Diabolos in Potrimpo, Percuno, Picollo, aliisque Diis ut Gorcho, Iszwambrato, Pergubrio &c. adorantes. Convenientia qualiscunque in ritibus quibusdam non facit certum argumentum Originis in aliqua gente. Novimus enim Diabolum, ut Dei simiam suos sectatores docere ritus, ritibus à Deo institutis similes, ut plurimis exemplis doceri posset, si necessitas id exigeret. Immò si tam levis convenientia rituum, ut hic in sacrificando hirco, faceret eandem gentium Originem, probare in proclivi esset, Prussos Veteres ab omnibus gentibus posse derivari. Nam nulla, credo, gens est, sive tam exculta sive etiam ferè tam barbaræ, quæ non habuerit olim cum Prussis in ritibus aliquid commune. A Gallis nemo unquam Prussos, quod sciam, deduxit, eosdem tamen inde derivare facili negotio possemus, si illud argumentum aliquid haberetur roboris. Audiamus enim quæ de ipsis Druidis

five Philosophis & Theologis refert Diodorus Siculus lib.  
V. cap. XXXI. p. 293. Sunt etiam Vates, inquit ille, magna a-  
pud illos existimationis, qui ab auspiciis & victimarum extis de  
futuris divinant, eisq; plebs universa morem gerit, imprimis ubi  
de magni momenti rebus consultatio incidit, mirandum & incre-  
dibilem quendam ritum obseruant. Hominem immolatum supra  
transversum pectoris septum ense feriunt: quo caso prolapsoq;  
tum è casu & convulsione membrorum, tum è cruoris fluxu quid  
eventurum sit presagiant. H. i. Eandem Prussici Pontificis  
fuisse autoritatem referunt Chronica nostra: Cum etiam  
Prussi in hostem proficisci vellent, eodem ferè modo Deos  
suos consulebant de prospero belli eventu. Scilicet homi-  
nem ab hoste captum immolabant, ubi Summus eorum Sa-  
cerdos, Crive dictus, ipsi pectus transfodebat. Si sanguis tor-  
rentis instar erumperet, prosperè sibi res eventuras spe-  
rabant: si verò guttatum tantum destillaret, adversum  
hoc sibi omen arbitrabantur. Henneberg. in tract. de Vet.  
Pruss. pag. 20. ex Grunovii Tractatu II. cap. 5. Deinde de  
Druidis Gallorum Julius Cæsar de bello Gall. lib. VI. dicit  
quod credant, non interire animas, sed ab aliis post mortem  
transire ad alios. Eadem de Veteribus Prussis tradit Vincen-  
tius Kadlubko Episc. Cracov. (qui in fin. Sec. XII. floruit,  
jussuq; Casimiri II. Ducis Polon. Historiam suam scripsit,  
qua An. 1612. Dòbromili typis excusa est) Est, inquiens, o-  
mnium Getarum (per Getas perpetuò Prusso intelligit, ut  
postea etiam dicetur) communis dementia, exutas corpore ani-  
mas nascituris denuo infundi corporibus. Quasdam etiam bru-  
torum assumptione corporum brutescere. lib. IV. Chron. Po-  
lon. cap. 19. p. 512. Hæc & alia occurrebant ritibus Prusorū  
conformia apud Gallos; ex quibus tamen nemo à Gallis  
Prusso rectè derivaverit. Magna itaq; rituum convenien-  
tia sit oportet, & quidem accendentibus aliis rationibus, si

argumentum hoc procedere debet. Reliqua argumenta à pertinacia Prussorum, & à cantilena Jeru desumpta, ipse Severinus Göbelius l. c. nimis esse infirmitia agnoscit, indè etiam huic opinioni non præbet assensum.

III. Ab Ebræis prægredimus ad GRÆCOS, & ab his enim, sunt, qui Prussos deducant. Illi autem in diversas abundent sententias. Alii à MACEDONIBUS & Alexandri M. Ducibus, Prussos putant esse oriundos. Abbas Stadensis qui Sec. XIII. post Chr. nat. floruit, ad An. 917. cum varias Sæxonum Origines enumerasset, addit: Invenitur etiam, quod reliquie fuerint Macedonum, & mortuo Alexandro per totum orbem sunt dispersi. Quia enim Alexander virtute eorum devicerat Asiam, eo defuncto se illi terra amplius committere non audebant: sed cum 300. navibus recesserunt, qua omnes perierunt exceptis 54. quarum 18. PRUCIAM occuparunt. 12. Rugiæ, 24. applicuerunt ad Albiam, quarum una trans Albiam sylvam incoluit & succidit, in qua postmodum sunt inventi & Holzai appellati. pag. 99. a. Edit. Reineri Reineccii A. n. 1587. Helmstadt. Alii etiam modum determinant, quo Alexandri M. fautores in has oras penetrarint, Gobelitus Persona: Macedones, inquit, quos Alexander apud montes Caspios tanquam sibi fideliores ad custodiā patriæ reliquerat, audientes cum esse mortuum turbatis sunt valde & perpendentes odium incolarum, per terram redire in Macedoniam desperabant. Quare CCC. navibus preparatis miserunt se in mare Caspium & dum navigantes per mare Oceanum sedes sibi quarebant, sed dum longius oberrabant maris tempestate omnes naves eorum preter 54 perierunt. De quibus tandem XVIII. naves intrabant PRUZZIAM & 12. naves terram Rügen & litora maris propinqua. Et reliqua XXIV. naves ad ostium fluminis Albæ applicuerunt. Hæc ille in Cosmodromio ætate V. cap. XI. fol. 105. Verum hæc esse fabulosa, quis non animadvertis? Cui enim ignotum est

Ale-

Alexandro Macedone mortuo, Duces ipsius imperium inter se divisisse, & quidem adeo pacatè ut quidam scripserint testamento Alexandri distributas esse provincias. Curt. lib. X. cap. ult. Deinde fabulam illam esse ostendit iter maritimum, quod illi suscepisse fecisseq; dicuntur per mare Caspium, Oceanumq;, sine dubio Septentrionalem. Sed nunquam auditum est à mari Caspio ad Septentrionalem Oceanum, glacie concretum, potuisse institui navigationem, cum mare Caspium nullibi cum Oceano illo sit connexum. Vid. Albert. Cranz, in Praefat. ad Saxoniam.

IV. Alii ex Asia minore, & in specie ex BITHYNIA, gentem Græcam in nostras oras Duce PRUSIA Bithyniæ Rege, venisse referunt; à quo etiam dictam esse volunt Prusiam. Primus, quod sciam, hujus sententia author est Joannes Dlugossus Historicus Polon. qui sub Casimiro IV. Jagellone floruit. Hic ea de re sic loquitur: *Dum enim Prusias Bithyniæ Rex apud quem Hannibal Pœnorum Dux à populo Romano vicit & fugatus exulavit, suā Hannibalis temerè contrapopulum Romanum bellum suscepisset & publicam pugnam non respondentibus fibris, dum exta inficeret, inire esset ausus (abi etiam in hunc modum ab Annibale increparetur) At tu, inquit, o Prusia! Titulinae caruncula credere mavis quam Imperatori probato? Conflictus ergo & superatus Prusias cum Bithyniis gentes sua in Aquilonarem oram Romanos fugiens venit, & ex suo titulo Prusia nomen fecit. Tom. I. Hist. Pol. lib. II. adan. 997. fol. 114.* Præter nomen autem Prusia argumentum assertionis suæ vult esse & linguam Veterum Prussorum, quam Græcam fuisse asserit: Bithynii autem, subjungens, populi etiam in hanc diem (in Prussia) manent vestigia, quoniam non nulli Pruteni præcæ lingua retinent vocabula & ab Aeolicis, Doricis, Atticis & Ionicis populis competenter intelliguntur. Dlugossum sequitur Matthias à Michovia qui itidem à Prusia Prusios.

Prusos dictos esse tradit, secundum quosdam id verum esse statuens, addit etiam, hoc probari ab asserentibus ex Greco sermone. Sic enim ille: *Signum hujus asserentes inducunt quod vulgare Gracum loquentes intelligant plenq. verba Prutheno-rū ex regione Bithynia Graci sermonis propagata.* lib. II. Chron. Polon. c. 8. f. 25. in Corp. Hist. Polon. Tom. II. Quod autem de Graeca lingua dicebant Dlugosius & Mechovius, illud, quod ego maximè miror, comprobat & Jodoc Willichius Resellianus Prussus, qui circa An. 1560. scripsit Commentarium in Cornelii Taciti libellum de moribus Germanorū: Hic parte I. citati Commentarii cap. XIV. p. 476. de Germanorum lucis sacris verba faciens: *Quare, ait, pro templis illi (Germani) lucos & nemora consecrata retinuerant, in quibus ceremonia certe per sacrificia habebantur.* Vidimus & eam consuetudinem adhuc reliquam Niemonis i. e. hodiè vocati Melii accolias observare non longè à Regiomonte Borusie, ubi hircos potissimum mactant. *Quarè Germanica lingua Bockheiliger b. e. hircorum cultores plerumq. vocantur, eos tamen Illustrissimus Dux Albertus Marchio Brandeb. studiorum singularris Mecenas ad veram pietatis Christianæ formam reducere conatus est, iug. sunt veri in illis partibus Borusie, quorum lingua non est Vandalica & admodum peregrina: sed Graeca depravata, sicut Gallica & Hispanica ex Latina corrupta ferè nata est,* SICUT IPSE USU COMPERI, QUOTIES IPSIS GRAE-CISSANDO LOCUTUS SUM, ut qui Patriæ meæ vicini sunt.

V. Eccecum hoc argumentum à linguae convenientia desumptum satis stringere videatur, videbimus quid veri assertiones illæ contineant, deinde de nomine Prussiæ aliquid dicatur. Testimonia illa Dlugossi & Willichii omni exceptione majora esse evidentur, cum ille disertis asserat verbis Prusos ab Aeolicis, Doricis, Atticis & Ionicis populis competenter intelligi. Hic insuper id seipsum expertum esse dicat, quoties

quoties Gracisando illis locutus esset. Sed ego mihi non du-  
cam religioni, hæc omnia in dubium vocare. Nam Dlu-  
gosus ipse paulò ante citata verba dixerat: Fuit autem pro  
ea tempestate Prutenorum gens sœva & crudelis — speciale ha-  
bens idioma, à Latino tamen aliquantulum derivatum, &  
quod cum Lithvanico habet concordantiam aliquam — unius  
& moris & lingua cognationisque Pruteni & Lithvani Samo-  
giteque fuisse dignoscuntur — & quamvis gentes ipsæ in pro-  
nunciatione verborum differunt, quemadmodum Poloni, Babe-  
ni, Rutheni. Nihilominus in multis convenientiunt. Ex quibus  
patet quod Dlugosius Prussis eandem linguam, quamvis  
dialecto differentem, & eandem originem tribuat cum  
Lithvanis & Samogitis. Mox autem velut sui oblitus im-  
mediate modò allegatis verbis adjicit: Non unius tamen  
stirpis & linguae fuisse estimantur. Sed Prutenis alia fertur  
fuisse quam Lithvanis & Samogitis origo. Dum enim Prusias  
Bitynia Rex &c. Hic Dlugossum sibi ipsi non constare,  
quivis facilè animadvertisit. Nemo itaque ipsius testimoni-  
o tantum deferet, quantum primâ fronte ipsi videbatur  
referendum. Turpius adhuc sese Willichius dedit. Nam pri-  
mò, cum loco citato agat de Veteribus Prussis, qui Prusica  
lingua adhuc utebantur, debuit cum ipsis loqui in Sudinia,  
ubi superiore Seculo adhuc frequentissimi erant. Deinde  
si sapientius Gracisando locutus est, ipsosque intellexit,  
necessarium fuit, ut maximam lingua illa convenientiam  
habuerit cum Græca, nec oportet eam adeò fuisse corru-  
ptam ex Græca ut Hispanicam & Gallicam ex Latina, utpote  
qua etiam à Latinè doctis intelligi non possint ob diversissi-  
mam flexionem verborum, & pronunciationem diversissi-  
mam. Tandem necessarium etiam fuit ut exacte sciverit lin-  
guam Græcam, de eaque potuerit judicare, eam apud Prus-  
sos fuisse corruptam. Verum an hæc ita se habere possint,

Judicet Lector ex aliis Willichii verbis, quæ reperiuntur  
Part. II. Comment. in lib. Taciti de morib. German. cap.  
XXV. pag. 631. seq. Cum enim ipsi objiceretur de succino:  
*Jodocus est Borusius & succini naturam non probè descripsit.*  
Respondet ad hanc objectionem: Fateor quidem me esse  
Borusum eumq. Resellianum sub Episcopatu Warmiensi, qui est  
& Heilsbergensis; Sed post Parentum meorum mortem statim  
in prima ætate vixdum quatuordecim annos natum in Mar-  
chiam Brennopyrgensem, ubi est Francofurdiana Academia per-  
venisse. Et cum studia sua Francofurti instituta recensuisset,  
addit: *ubi Bucolica Virgilii enarrare incepi atq. Commentaria*  
*qualiacung. sub prælo excusa sunt. In quibus cum locus de electro*  
*explicandus esset, multos meos cives consului, ut veritatē pro vi-*  
*rili adumbrarem. Si quidem eam partem nunquam in mea vi-*  
*ta vidi, cum ne partes quidem mea Patria satis pro dignitate*  
*perlustrarim. Si igitur in prima ætate vixdum quatuordecim*  
*annos natus Prussiam reliquit, partibus Patriæ suæ i. e. tra-*  
*ctus Reselliani, nondum satis perlustratis, quomodo igitur*  
*cum Prussis Veteribus, adhuc adolescentulus, in tantâ renâ-*  
*centium tantummodo in Prussia literarum caligine, sœpè*  
*Græcisando loqui potuit? Sed certè daremus hæc omnia*  
*fieri potuisse, præsertim cum quamplurima exempla te-*  
*stentur, alia ingenia præ aliis magis efflorescere. cum et*  
*iam non ignoremus, non tantum in Sudinia superiori Se-*  
*culo repertos fuisse lingua Veteri Prussica utentes, sed etiam*  
*in aliis locis Prussiæ, ut in viciis & pagis tractus Warmiensis*  
*teste Cromero Episc. Warmiens. lib. I. Hist. Pol. c. V. fol.*  
*409. Tom. II. in Corp. Hist. Pol. item in Natangia & circa*  
*Velaviam, ut patet ex Praefatione Catechismi Prustici Veteris*  
*operâ Illustriss. Ducis Alberti procurati & An. 1545. hic Re-*  
*giomonti impressi. Daremus, inquam, illa fieri potuisse,*  
*si modò aliquam linguæ Prussicæ convenientiam cum Græ-*

ca deprehendere possemus. Nullam autem reperiri convenientiam cognoscere possumus ex illis testimoniis, quæ lingua Prussicam Veterem ferè eandem fuisse afferunt cum Lithvanica. Audivimus jam illud afferentem Dlugossum. Cromerus lib. I. cap. V. fol. 409. Quorum, inquit, (nempe Prussorum) extant adhuc reliquæ quedam in vicie & pagis tractus Varmiensis & Sambiensis lingua utentes Lithvanica non absimili. Et lib. III. fol. 442. Livonos, Lithvanos, Samogitas & Prussos vetus nomen retinentes eadem inter se lingua vulgo uti dicit, tantum quod multas voces Latinas admixtas esse asserat. Gvagynus etiam in Descript. Prussiae dieit de Prassis: Idiomate proprio, à Livonico non dissimili utebantur. Severinus Göbel tractatu cit. cap. III. dicit: Ihre (der Sudawen) Sprache ist nicht ganz frembde von der Littauschen. Jam verò Lithvanicam linguam ex Græca oriundam esse nobis non persuadebitur. Multò potiori jure nos eam ex Venedica sive Slavonica lingua deducere possemus, cum magna pars Lithvanicarum & Prussicarum vocum sit Slavonica. Deindè quod supra diximus Prussicam linguam non convenire cum Græca, id probare etiam possumus ex reliquiis Veteris Linguae Prussicæ. Ex supramemorato itaque Catechismo Prussico huc quedam adducemus, addito Græco & Lithvanico textu, ex quorum collatione magnam Lingue Prussicæ cum Lithvanica, nullam cum Græca deprehendemus convenientiam. Majorem etiam cum Lithvanica deprehendent similitudinem, qui variis Dialectos Lingue Lithvanicæ norunt.

### Oratio Dominica sic sese habet:

Græcè.

Πάτερ ἡμῶν ὁ ἐν οὐρανοῖς. ἀγιασθήτω τὸ ὄνομα σου. ἐλέητο  
ἡ βασιλεία σου. Γενηθήτω τὸ θέλημα σου, ὡς ἐν οὐρανῷ. Σημεῖον

τῆς γῆς. Τὸν ἄρχον ἡμῶν τὸν ἀπόστολον δός ἡμῖν σημεροῦ καὶ ἀφεσ  
ἡμῖν τῷ ὁφελήματά ἡμῶν, ὡς καὶ ἡμεῖς ἀφίεμεν τοῖς ἐφειλέταις  
ἡμῶν, καὶ μὴ εἰσεγυγμένοις ἡμᾶς εἰς πιθεσμὸν, ἀλλὰ ῥῦσαι ἡμᾶς  
διὸ τῷ πονηρῷ.

#### Prussice.

Thawenison kas tu assē andangon. Swintins wirst  
twais emmien. Pergeis twais laeims twais quarts  
audasseisin / andangon / key na semmey. Lusan geitins  
dais numons schindeinan. Ba atwopeis noumans nusun  
auszautuns / kay mas atwo pimay nuson auschant nik-  
mans. Ba ny wedais mans en perdandan / Selait is  
ranteis mans assa wargan.

#### Lithvanice.

Tewenusu kuris essi dangui. reessie Szwenczantas  
wardas tarvo. Te ateit tarvo karalise te nu si dūdie  
tarvo walle kaip dangui / taip ir ant žemes. Dūna musu  
dienisla dūk muns fendienna. atleist mums musu kates  
kaip mes atleidziam sawiemus kateemus. Ne dūk mus  
west y pišta pagundima / Bet gelbek mus nu pišto.

#### Symbolum Apostolicum sic habet:

#### Græce,

Πιστῶ εἰς ḥεὸν, Πατέρες παντοχρότορε, ποιητὴ ἡγενῶς καὶ  
γῆς. καὶ εἰς ἵστων χριστὸν τὸν ύπον αὐτὸν μονογενῆ καὶ υἱον ἡμῶν,  
συλλογένεα ἐκ πνεύματος αὐτοῦ, φυσιογένεα ἐκ μαρτυρίας τῆς παρε-  
ἥνεις, Πατόντα ἐπὶ πονίας πιλάτου, στυγωγένεα, θυνόντα, ταφέντα,  
κατελθόντα εἰς ἄδειαν, τῇ τοτὲ ἡμέρᾳ αναστόντα ἐκ νεκρῶν. Ανελ-  
ἥντα εἰς ἡρεμούς πατέρομόρφου ἐκ δεξιῶν ḥεὸς τὸ πατρὸς παντοχρό-  
τοροῦ, ὃν μέλλει ἔρχεσθαι κρίνου ἡγενῆς καὶ νεκρῶς. Πιστῶ  
εἰς πνεῦμα ἀγίου. πιστῶ αὐτοῖς ἐκκλησίαι πατολικήν, ἀγίαν  
κοινωνίαν. Ἀφεσιν ἀμαρτιῶν. Σαρκὸς ανάστασιν. καὶ ἡωὴν αἰώνιον.

#### Prussice.

As drowe an Deiwan Thawan, wismosing, kas  
ast raykowuns dangon ba semmin. Ba an JESUM  
Christum swaian ainan sunan Retian nusun. Kas  
Paris

Patikors ast assastan naseilon Swintan! Gemmons as  
sastan Jungfrauen Marian/ Stenuns po Pontio Pilato/  
scrifits/ aulawns ba encops/ Sammar lesunis prey Pe-  
tollin/ Tirtin deinan ar skubuns assa gallans. Onsey  
gobuns andangon. Sindats preticke ray deitwas Tha-  
was wisitosingis/ Siwendaii pergebuns wirst preilei-  
ginwey stans geiowans ba aurauwissens As drowe an  
naseilon foontan/ ainan swintan kristianiskum Rirkini/  
ainan perroniseon Szwintan. Et werpsannan grecoll.  
At skisenna menschon. ba prabitscun geiowin.

Lihvanice.

Ak tikkii y Diewa Ter'a wissgalinti/ suvveretjē  
Dangaus ir žemes. Ir y Jesu Christu io wien gimus-  
su Sunu wiešpati musu/ kirs Prasidieies nu dwases  
Szwentos/ gummes iſ Maryos Mergos ežystos Rentes-  
jes po Ponstku Pilotu/ nutrizawotas/ numirres ir palay-  
dotas/ Luzenge y petla/ trecoi dienoj kelesi iſ numir-  
rusu/ už ženge ant dangaus. Sed po dežines Diero  
Tewo wissgalinczo/ iſ te pareis suditu gyrous ir mier-  
kusus. Ak tikkii y dwase Szwenta/ hrenta Rikf-  
ežoniska bažnycia. Szwentiju draugiste. arreidim-  
nia grieku. kuno iſ numirrusu prikalimma. ir amžina gi-  
wota.

Ex his ne unica quidem vox Prussica cum Græco  
convenit, nisi quis objicere velit particulam *kay* sive *kej*  
quod cum Græco *ŋg* convenire videtur ut ex collatione  
apparet. Sed neq; hæc particula Græcam habet originem.  
Key enim sive *kay* hic non est idem quod Græcum *ŋg*, sed  
idem est quod *ως*, quemadmodum, & coincidit cum Lithva-  
nico *kayp*. Græcum verò *ŋg* Prussis est *ba*. Tandem eti-  
daremus Prussica & Lithvanicae linguae convenientiam  
quandam esse cum Græca (quod de quibusdam, paticissi-  
mis tamen, vocabulis dari potest) inde tamen probari non  
posset Prussos ex Bithynia oriundos fuisse à Rege Prusia...

Nam potuissent aliundè pauculas illas voces accipere Prus-  
si, & quidem longè commodius. Videlicet notum est Russos  
à Græcis non modo literas, sed etiam religionem suam acce-  
pisse. Indè sæpius etiam Helmoldo Russi Græcorum appella-  
tione insigniuntur, ut lib. 2. Chron. Slav. c. 13. l. 4. c. 26.  
Vid. Bankertus in Notis ad lib. 1. Helmoldi cap. 1. pag. 3.  
Russi itaque à Græcis quædam acceperunt vocabula; Prussi  
verò à Russis, non à Bithyniis. Nomen Prussiæ Regis hic  
non facit ad rem. Nam Prusiam Regem in Prussiam non  
venisse cognoscimus ex Justini lib. XXXIV. cap. 4. ubi re-  
fert Prusiam à filio esse regno spoliatum, etiam à servis de-  
sertum. Et eum in latebris ageret non minori scelere, quam  
filium occidi juserat à filio interfectum. Si verò objicias  
potuisse alios Prussiæ Regis fautores, qui ipsi cædem filii sua-  
serant, iram filii metuentes, in has terras profugisse, & ab e-  
ejus nomine Prussiam appellasse. Neq; hoc quidquam ad  
rem facere dicemus. Si enim huc concessissent, statim post  
ingressum à nomine Prussiæ Prussiam appellassent, cum ta-  
men notum sit, nomen Prussiæ nostræ multis seculis esse  
recentius ut postea ostendemus,

VI. Sunt etiam, qui, vanitatem prioris sententiaæ a-  
nimadvertentes, Russos antiquos à BRUCTERIS Germani-  
cis populis in has oras transgressis, Prussiæ nomen acce-  
pisse existimant. Quâ de re Jacobus Spigelius: *Strabo au-  
thor est*, ait, *circa Amasin fluvium Bructeros habitasse. Hos  
Drusus navaliter prælio superavit. Unde ab Austro in Aquilonem  
delapsi ad Oceanum bodiæ Pruteni putantur. Facile namq; Bru-  
cteros in Prutenos convertit.* in Scholius ad Ricardi Bartholi-  
ni Perusini lib. II. Austriados in fin. fol. 517. inter Script.  
German. à Justo Reubero editos. Sed & hæc sententia faci-  
lè exploditur. Certum quidem est, quod Strabo asserat  
Bructeros à Druso superatos lib. VII. Geographiæ in pr.  
Conf.

us.  
los  
ce-  
el-  
26.  
3.  
ssi  
nic  
n.  
re-  
de-  
am  
ias  
ua-  
e-  
ad  
ost  
ta-  
se-  
a-  
na-  
ce-  
au-  
Hos  
em  
ru-  
oli-  
pt.  
ci-  
rat  
pr.  
nf.

Conf. Tacitus lib. 1. Annal. c. 51. Sed illos post hanc pugnam usque in Prussiam nostram penetrasse, neque Strabo neq; Tacitus assserit. Imò postea primo Principatus Trajani anno Romæ nunciatum erat, Bructeros fuisse à Chamavis & Angrivariis pulsos ac penitus excisos, teste Tacito lib. de morib. Germanor. c. 33. Quonam verò reliquiæ Bructerorum concederint, difficile dictu est. Phil. Cluver. eos collocat super Rheni ripam inter Agrippinensem Coloniam & confluentes Mosellæ. Vid. Cluver. lib. III. Germ. Antiq. cap. XIV. Neque etiam nomen Bructerorum adeò simile est nomini Prutenorum, ut in illud potuerit transire.

VII. Antequam ad veriores, vel saltem verisimiliores progrediamur opiniones, non omittendū est illud, & Chronica nostra Prussica sive sint typis impressa, sive etiam adhuc MS in Bibliotheca Electorali asserventur, parum solidi nobis de Originibus Prussicis afferre, cum ab hominibus plerumque imperitis sint conscripta. Pudet me tñdetq; fabularum, quibus illi volumina sua inferciunt. Et licet aliquando vera videantur proponere, ea tamen tot fragmentis involvunt, ut & hæc quæ verè contigisse credibile est, indubium fermè vocare cogamur. Exempla in sequentibus occurrent, jam tantum quædā, quæ huc facere videntur subiiciemus. Chronicon quoddam MS. Authoris incerti statim fol. 1. refert, Augusti Imperatoris tempore quosdam Astronomos in quadam Bithyniæ urbe *Satura* disputasse, de populis in Prussia habitantibus, misisseque quosdam Astronomos ad explorandas has regiones; ex quibus unicus tantum nomine *Divones* reversus, hæc nunciasse fertur: non habitasse in Prussia constanter unam gentem, sed modò appellatam esse *Sargagam*, ab aliis *Geliden* & ab aliis rurus *Vatiniam* &c. Eorum Principem dicit vocatum fuisse MASO cui Prussici illi populi etiam liberos suos tributi loco

loco pendebant. Habet hæc etiam ex citato Chronico Matthæus Weisselius in Chron. Pruss. p. 7. uterq; verò ex Christiani primi Episcopi Prussiae Chronico. Addunt alii Prussos primis illis temporibus tributarios fuisse Principibus Masoviæ Antonio filioque ejus Czantvrigio donec tandem à Scandanavis illa servitute liberarentur. Calp. Hennebergerus in tract. de Vet. Pruss. pag. 6. Sed nugas illas esse dicet, quicunque vel à limine salutavit Historiam Poloniam. Hæc enim de Masovia sequentia nobis tradit. Cum totum regnum Polonicum Sec. XI. in impostens Rixæ Reginæ dominium concitatum esset *Maslaus* quoque live *Masos* Pincerna Regis Miecislae II. Dominatum in tractu Plocensi arripuit eamque terram à suo nomine Masoviam appellavit. Dlugoss. Tom. i. lib. III. Hist. Pol. fol. 183. seq. ad an. 1040. Cromer. Neugeb. & alii. (Quamvis Stanislaus Sarmitius lib. I. Annal. Polon. f. 34. *Masovios* à *Masagatis* nomen habere statuat, nec probet illam derivationem nobilis populi à vili homine *Maslao*) Indè cum Casimirus I. Rex Pol. Ducatum Masoviæ à *Maslao* tyranno receperisset, semper etiam annexus fuit Regno Poloniæ, donec tandem An. 1220. Lescus Albus Dux Pol. eundem attribuerit Conrado fratri suo. Indè Masovia Duces suos habere cœpit. Quodsi hæc vera sunt, quomodo itaque Prussi Ducibus Masoviæ Antonio & Czantvrigio subjecti esse potuerunt? quomodo nomen illud *Masoviæ* antè tempora Scandianorum notum esse potuit, quod multis seculis post demum innovuit? Ut racciam *Chronica nostra* nullum antiquum authorem potuisse pro sententia sua confirmanda proferre. Cœtera quoque jam prætereo.

VIII. Cum itaque ex Scriptoribus nostris nihil certi cognoscere liceat, antiquorum Scriptorum Monuments perlustrabimus, & multò veriora illos de gentibus his tradi-

tradidisse comperiemus. Apud antiquos obscura quidem sunt gentis nostræ indicia, non tamen planè sunt nulla; idque ob succinum quod nostris in oris antiquissimis etiam temporibus collectum, per orbem distrahi solebat. Ex ea itaque ratione novimus jam longè antè tempora Herodoti Halicarnasæi antiquissimi Historicorum (qui vixit sub Monarchia Persica, tempore Artaxerxis Longimani Olymp. 84.) homines in Prussia nostra habitasse, qui succinum colligebant. Communi enim tum ferebatur famâ, populos quosdam in extremitatibus Europæ ad fluvium Eridanum succinum colligere; cui tamen ipse Herodotus fidem non habet: *De extremitatibus*, inquit ille, *Europæ quod pro comperto referam non habeo. Neg<sup>o</sup> enim assentior fluvium quendam esse Eridanum à Barbaris vocatum qui subit mare ad septentrionem spectans, undè electrum venire narratur. Nam vel ipsum coarguit nomen Eridanus quod Græcum est, non barbarum ab aliquo Poëtarum fictum.* Sed etsi hoc studiosè quesivi, à nemine, qui ipse viderit, accipere potui, quomodo se habeat mare ad illam Europæ partem. Ab extrema itaq; ad nos venit stannum electrumq;. Hæc Herod. lib. III. qui inscribitur Thalia. mult. post. med. pag. 234. Non tamen turbare, quempiam debet, quod adeò dubiè loquatur, imò fidem nullam hábeat relationi de Eridano. In tanta enim peregrinantium infrequentia mirum non est rem hanc totam plurimis fuisse involutam fabulis, adeò ut Historici nesciverint quid literis hac de re prodere debuerint. Jam antè Herodorum Æschylus aliique Poëtæ finxerant: *Pbaetontis fulmine iicti sorores fletu mutatas in arbores populos lacrymis electrum omnibus annis fundere juxta Eridanum amnem, quem Pädum vocamus.* Et electrum vocatum, quoniam Sol vocatus est elector plurimi Poëtæ dixerunt, primique, ut arbitror, Æschylus, Philoxenus, Nicander, Euripides Satyrus. ait

Plin. lib. XXXVII. cap. 2. circa fin. Videbant quidem Viri prudentes hæc esse Poëtarum somnia; videbant tamen simul, aliquid veri sub his fabularum involucris inveniri; Quod esse falso, pergit porrò Plinius, Italiae testimonio patet. Diligentiores eorum Electridas insulas in mari Adriatico esse dixerant, ad quas dilaberetur Padus. Qua appellatione nullas unquam ibi fuisse certum est. Nec verò ulla ibi appositas esse in quas quidquam cursu Padi deverbis possit. Hinc scrutati sunt Eruditi, ubi Eridanus ille succinum vehens, ubi Electrides insulae ab electro sive succino ita dictæ, ubi succinum ipsum reperiretur. Alius hicalio propius rem tetigit. Et certè conatus Herodotum non fecellisset, nisi ipsum nomen Eridani non barbarum, dubium tenuisset. Licet meminisse poterat, hoc nomen à Græcis potuisse corruptum esse, aut planè à Græcis amni illi impositum, ut eo commodius peregrinatines eò institui possent ad mercaturam exercendant. Et certè corruptum illud nomen fuisse ex nomine fluminis propè Dantiscum, die Raddum / dicti, suspicatur P. Cluverus Dantiscanus Prussus lib. III. German. Antiq. c. 34. post med. & ex eo Joan. Micraelius lib. I. Chron. Pomeran. num. IV. p. 4. per Electrides autem intelligunt illi das grosse Werder / die Närung: Micraelius addit Samlandiam l. c. num. 5. p. 6. Quæ ut satis probabilia rejici non posse videntur.

IX. Ergo jam sic satis constat, ante tempora Herodoti, immò ante tempora Aeschyli Poëtæ habitasse in Prussia homines succinum colligentes, quinam autem illi fuerint, nondum appetat. ULMIGEROS sive Hulmigeros, vel etiam Ulmigaves, item Ulmiganos illos appellant passim Scriptores nostri. Vid. etiam Erasm. Stella lib. I. & II. Antiquit. Pruss. En. Sylv. in Descript. Europ. c. 29. Corrupta hæc sunt nomina ex ULMERUGIS, de quibus Jornandes & nos

ex eo in sequentibus. Sed adhuc dubium est, utrum Jordanes per Ulmerugos intelligat incolas Prussiae. Probabilius enim est Ulmerugos ipsi esse Rugios in Pomerania. Ptolemæus qui vixit sub Antonino Philosopho Imp. in his terris collocat VENEDAS sive VINIDAS Sarmaticas gentes. Tenent, inquit, Sarmatiam gentes maxime. Venede per totum Venedicum sinum (sic appellabatur Sinus Codani pars qua Prussiam, Curoniam & Livoniam attuit) — Minores autem gentes tenent Sarmatiam penes Vistulam quidem fluvium sub Venedis Gythones — Iis omnibus orientaliores sunt sub Venedis quidam iterum Galindæ, & Sudeni & Stavani usq; ad Alauos. lib. III. Geogr. cap. V. fol. 81. seq. Edit. Græco-Latinæ Sansonii. In hoc quidem fallitur Ptolemæus, quod putet suo tempore adhuc Venedas per totum sinum Venedicum habitasse; (notum namq; est illo tempore quo vixit Ptolemæus jam Gothones & Aestios has orae tenuisse) at quod antiquissimis temporibus ibi Venedæ suas sedes habuerint, id in dubium vocari non potest. Unde enim Sinus Codanus nomen Sinus Venedici accepisset nisi à Venedis accolis. Probare idem videtur Ph. Cluverus ex illis Livonia locis. Wenden/ Windau/ Uschewende / sed loca hæc multò sunt recentiora, quam ut inde Venedas gentes Sarmaticas ibidem habitasse colligere queamus. Hæc nomina namque à Vinnone Magistro Ordinis Eosiferorum in Livonia sunt locis illis, ut à conditore, imposita. Vid. Chronica Deutschen Ordens sive ut alii citant Hoheneister Chronicæ ab Episcopo Paderbornensi scribi cœpta fol. 41. Probabilius illud argumentum est, in his oris habitasse Venedas, quod Græcorum antiquissimis occasionem dedit singendi in Italia in Venetorum regione flumen Eridanum, (Padus is est vero nomine) à quo succinum, sive, ut illi vocabant electrum veniret; quum id in Venedorum litore ad

Vistulæ usque ostia omni ævo legeretur. lib. III. Germ.  
Antiq. cap. XLIV. in pr. Aliam tamen fabulæ hujus occasio-  
nem expressit Plinius quando dixit: *Affertur à Germa-  
nis in Pannoniam maximè provinciam. Inde Veneti primum,  
quos Græci Henetos vocant rei famam fecere, proximi Panno-  
niae, id accipientes circa mare Adriaticum. Pado verò annexa  
fabula videtur causa, hodieq. Transpadanarum agrestibus fæ-  
minis monilium vice succina gestantibus, maximè decoris gra-  
tia.* lib. XXXVII. Nat. Hist. cap. 3. An verò VENEDÆ  
Sarmaticæ gentes ejusdem sint Originis cum VENETIS  
Italiæ populis, quos à Græcis Henetos dici, Plinius affirmat;  
quosque ab HENETIS in Paphlagonia deducunt multi,  
nos non disputamus: cum de rebus adeò vetustis, præser-  
tim ubi desunt rationes probabiles, judicium ferre sit per-  
quam difficile. Vid. Mart. Cromer. lib. I. de Ortu. & reb.  
gest. Polon. Stanisl. Sarnitius in Annal. Polon. libb. tribus  
prioribus, Henricus Bankertus in Not. ad Helmoldi lib. I.  
Chron. Slav. c. 2. & alii.

X. Antiquissimi itaque Prussiæ incolæ fuerunt VE-  
NEDÆ & Venedarum populi Galinda, Sudeni, Slavani a-  
liique. Sed antiquissima etiam perhibetur fuisse migratio  
GOTHORUM in oras Prussicas ex Scantia sive Scanza vel  
ut alii multi pronunciant Scandinavia, quæ est hodierna  
Svecia & Norvægia. De hac migratione Jornandes Sec.  
VI. Scriptor (quem alii Gordianum appellant) sic loqui-  
tur: *Ex hac igitur Scanzia insula quasi officina gentium, aut  
certè velut vagina nationum cum Rege suo nomine Berig Gothi  
quondam memorantur egressi, qui ut primum è navibus exeu-  
tes terras attigere, illoco loco nomen dederunt. Nam hodie illuc  
ut fertur Gothiscanza vocatur. Unde mox promoventes ad  
ad sedes Ulmerugorum, qui tunc oceani ripas insidebant, ca-  
strametati sunt, eosq; commissō prælio propriis sedibus pepule-  
runt*

runt eorumque vicinos Vandulos jam tunc subjugantes suis applicuere victoriis. Ibi verò magna populi numerositate crescente, etiam penè quinto Rege regnante, post Berig, Filimer, Filogud, Arigis consilio sedit, ut exinde cum familiis Gothorum promoveret exercitus, qui aptissimas sedes locag, dum querebat congrua, pervenit ad Scythia terras, quæ lingua eorum Ovim vocabantur. Probat hæc postea Jornandes ex antiquis Gothorum carminibus. Lib. de Reb. Goticis cap. IV. Edit. Gotianæ. Ex Jornande sua hausit Johannes Magnus in Histor. Svedica, qui etiam annum determinat, quo hæc migratio Gothorum ex Scania contigerit in Pomeraniā & Prussiam. Nempe dicit fuisse Annum post mund. cond. 2531. Et post Diluv. 875. & ante Chr. nat. 1430. tempore Othonielis Judicis in populo Israelitico. Huic opinioni de Gothorum ex Scania migratione opponit se Ph. Cluverus lib. III. German. Antiq. cap. XXXIV. fol. 132. ubi, Jornandem fabulis suis contaminasse potius, quam illustrasse gentem Goticam, dicit, & postea ait: Jornandem se præbuisse ineptissimarum nugarum posterioribus hominibus Ducem. Et cum verba Jornandis de hac migratione prolixè commemorasset, hæc subjicit: Ergo in iis que in medium adduxi primum miror quisnam aliquot jam ante Trojanum bellum seculis migrationē Gothorum è vagina illa nationum Scania adnotaverit: undē eam bis mille circiter post annos habere potuerit vel Jornandes vel Dexippus vel deniq. Ablavius? Ipsorum Gothorum carmina que ab Ablavio allegat Jornandes ad ea spectare tempora que Christi Jesu nativitatem aliquot seculis subsecuta sunt infra patebit: Joannes verò Magnus Archiepisc. Upsaliensis quod Gotorum etiam antè exitum è Scandinavia XIII. Reges nominatim enumeravit; Id sane de suo, multò Jornande vesanior adsingere ausus est, è cuius Historia, si ea quæ Duce Jornande è Getarum, Gothorum & Scybarum rebus gestis suis Gutis falso

*adstruxit, demas, vix tertia pars universi operis manebit.* Hæc  
& alia Vid. ap. Cluver. l. c. Verum Hugo Grotius in Prole-  
gomen. ad Histor. Gothorum, Vandalorum & Longobard.  
p. 14. & seqq. fusè Jornandis sententiam & relationem pro-  
pugnat, quamvis multò recentiorem hanc migrationem fa-  
ciat, quam fecit Joannes Magnus. Videlicet statuit hanc  
migrationem contigisse annis plus trecentis ante Christi  
tempora. Primum pro Jornande suo desumit argumentum  
ex Actis publicis Legum, Judiciorum, Rationum, ubi no-  
men hoc Gothorum in Svedia, sive Germanicâ sive Latina  
linguâ semper idem invenitur. Secundum argumentum,  
depromit ex Historiis exterarum Gentium, Moscovitarum,  
Slavorum, Anglorum, Hispanorum, apud quos semper cre-  
ditum est Gothos prodiisse è Scanzia sive hodierna Svedia.  
Profert tertio ex incerti Scriptoris Chronicō Slavico, quod  
Marinus Episcopi Romani Legatus cum circa An. 1467. in  
Sviđiam venisset, abstulerit inde libros, quos dicebantur  
Gothi olim circa An. 378. cum Romam & vicina raptarent,  
abstulisse. Affert tandem ex Ptolomeo, & qui eum sequi-  
tur, Martiano Heracleota, in Scandiarum maxima, quam  
& propriè Scandiam dicunt vocari, & quidem ad meridiem,  
ubi & nunc reperiuntur jam tum fuisse Gutas, quod nomen  
idem est cum Gotbis. Verum hæc adhuc nihil videntur sen-  
tentia Cluveri nostri derogare. Nam consensus ille gen-  
tium exterarum nititur relatione Jornandis, & quos hic  
sequitur, Dexippi & Ablavii, qui, ratione habita ad antiqui-  
tatem migrationis illius, Scriptores nimis sunt recentes.  
Idem de Actis publicis dici potest. Chronicō illud Sla-  
vieum incredibilia tradit. Notum enim est Gothos qui  
Romam vastarunt non immediatè prodiisse ex Svedia, sed  
à Ponto Euxino, quo jam tum à mari nostro Baltico erant  
progressi. Jornand. l. c. cap. IV. Nec eisdem in Sveciam  
rediisse

rediisse post vastatum Imperium Rom. probati poterit,  
quomodo itaque Româ libros in Svediam potuerunt trans-  
ferre? De Goticis Ptolemaei incertum est, an fuerint in Scan-  
zia *awñxjovēs* an verò à Gothis aliis oriundi, eò penetra-  
sint? Hæc & alia pro Cluvero nostro possumus ad Grotia-  
na illa reponere.

XI. Verum, sive Gothi, (qui & *Gothones*, *Guthones*,  
*Gute*, *Gythones* dicuntur) ex Scantia fuerint in has oras  
progressi, ut Jornandes vult, sive etiam in nostris o-  
ris *awñxjovēs*, ut Cluverus velle videtur. Hic nobis ulte-  
rius dispiciendum est, quo usque in Prusiam Gothones fu-  
erint progressi. Æneas Sylvius, Erasmus Stella aliquæ no-  
strates Historici ex Jornatide referunt Gothos *Hulmigeris*  
expulsis eorum terram occupasse in ripa Vistulæ orientali  
inter Ossam & Drebniæ amnes, quæ *Hulmigeria* postea se-  
cundum ipsos appellata est *Culmigeria*. Sed jam supra in-  
nuitimus, Jornadem non scripsisse *Ulmigeros*, ex quo voca-  
bulo deinde fieri potuerint *Culmigeri*: sed *Ulmerugos* per  
quos rectius intelliguntur *Rugii* Pomeranici populi. Phil.  
Cluverus lib. III. Germ. Antiq. c. 34. Gothos constituit  
terminos, nempe Gothos perhibet ab oriente habuisse Vi-  
stulā, & ubi is in duo scinditur cornua inter Pöllin & Stuim,  
alveum ejus orientalem qui dieitur Nogat, præterfluitque  
Mariæburgum, inde propè Elbingam in lacum effunditur.  
Hinc verò ipsum lacum ad ostium usque, quo is inter duos  
vicos Balge & Pillau Oceano miscetur. Secundum Clu-  
veri igitur sententiam Gothi sive Gothones tenuerunt tum  
hodiernam Pomerelliam, item das grosse Werder & die  
Närung. Sed nos longius progressos esse Gothones arbi-  
tramus. Cum enim Pytheas (qui CCL annis vixit post  
Herodotum, sub Ptolemaeo Philadelpho) testetur apud  
Gothos sive Gothones legi succinum apud Plin. XXXVII,

cap.

cap. 2. circa fin. Succinum autem cum maximè in hodierna Sudinia inveniatur, & cum sine dubio inventum sit, probabile est Gothones jam tum & Sudiniam tenuisse. Confirmatur in ea sententia, quoniam Pytheas refert Gothones æstuarium accolere quod dicitur Mentonomon. Per æstuarium illud intelligit lacum, das frische Haff/dictum, licet circa magnitudinem ejus erret; aut si mitius loqui velimus error aliquis negligentia librariorum irrepsit, adeò ut pro ἔξανιζιλίων στάδιων i. e. sex millium stadiorum, scribendum & Plinio legendum fuerit ἔξανοσιών στάδιων i. e. sexcentorum stadiorum. Mentonomon autem dicebatur forsan à Medenaw vico Sudiniæ, quæ est conjectura Micralii lib. I. Chron. Pom. num. 6. pag. 7. Quod si verum est, concludi posse certum est Sudiniam tenuisse Gothos, Medeau enim non Sarmaticum Venedarum sed Germanicum. Gothorum vocabulum est; cum terminatio an Germanica sit, significans terram, ut in his Morau/ Nassau/ Betau/ Welau re. Nec legimus, quod ego quidem sciam, vicum, illum Medenau ut & alios Girbau &c. ab Ordine Theutonico esse conditos, adeò ut inde colligere liceat, à Gothis adhuc illa vocabula remansisse. De reliqua parte Prussiæ id assertere possumus, paulò ante Christi nati tempora Venedicos sive Sarmaticos populos eam adhuc possedisse. Illud tandem prætereundem nobis non est, Gothos sive Gothones à multis & vetustis & recentioribus Historicis appellatos etiam fuisse GETAS, quamvis male illud factum esse probet Cluverus lib. III, Germ. Antiq. cap. XXIV. quem hic exscribere nolumus. Hoc tantum addimus Prussos etiam ipsos, quoniam Goths fuerunt, etiam appellari Getas à quibusdam, ut à Vincentio Kadlubkone Historico Polono in fin. Sec. XII, apud quem Prussi perpetuo ferè audiunt Getæ, Vid. I. 3. epist. 31. & lib. IV. c. 19. & alibi. Huc etiam

etiam forsan collimat antiquus Scholiaſtes in Adamum.  
Bremensem num. 87. ubi dicit: *Gothi à Romanis Getæ vo-*  
*cantur, de quibus Virgilius dicere videtur:*

— — — — acerg. Gelonus

*Cum fugit in Rhodopen atq. in deserta Getarum  
Et lac concretum cum sanguine potat equino.*

Hoc usq; bodiè Gothi & Sembi (Samländer) facere dicuntur,  
quos ex lacte jumentorum ineibriari certum est. Hæc ille.  
Quod autem Prusii olim biberint sanguinē equinum, lac &  
aquam, id testantur Adam Brem. de Situ Dan. p. 147. Chroni-  
ca Deutsches Ordens fol. 19. a. & Casp. Henneberg. in Tract.  
de Ver. Pruss. p. 5. b. ex Jeroschini antiquo Chronicō. alii.

XII. A Scriptorib⁹ qui post Christum natum vixe-  
runt, in Prussia nostra collocantur ÆSTII, qui se se exten-  
debant per Prussiam, Samogitiam, Curlandiam & Livoniam  
usque ad sinum Finnicum, ubi adhuc hodiè Eſthonia Æſtio-  
rum conservat memoriam. Tacitus in lib. de Morib. Germ.  
in fin. de illis sic loquitur: *Ergò jam dextro Svevici (Balthi-  
ci) maris littore Æſtiorum gentes alliuntur, quibus ritus ha-  
bitusque Svevorūm, lingua Britannicæ propior. Matrem  
Deam venerantur, insigne superstitionis formas agnorum ge-  
stant, id pro armis omniumque tutela securum Deæ cultorem  
etiam inter hostes præstat.* Rarus ferri, frequens fustium u-  
sus. Frumenta cæterosque fructus patientius quam pro solitā  
Germanorūm inertia laborant. Sed & mare scrutantur; ac  
soli omnium succinum quod ipsiglesum vocant inter vada atq.  
in ipso litorē legunt. De iisdem Æſtiis Jornandes Sec. VI. de  
Reb. Geticis cap. V. p. 615. 616. agit, ubi etiam addit, *Vidio-  
arios*, sive quemadmodum alii legunt *Viridarios*. (Die  
Werderschen.) Ad littus autem, inquit, Oceani, ubi tribus  
faucibus fluente Vistule fluminis eibuntur, *Vidioarii* resident,  
ex diversis nationibus aggregati, post quos ripam Oceani ITE-

D

MESTI

MESTI (alii legunt ESTII sive AESTII) tenent pacatum,  
hominum genus omnino. Et cap. 23. p. 643. cum de Venedis,  
Antibus & Slavis egisset, addit: Aestrorum (alii legunt A-  
storum) quoque similiter nationem, qui longissima ripa Ocea-  
ni Germanici insident, idem ipse (Emmericus Gothorum  
Rex) prudentie virtute subegit. Eodem Sec. VI. floruit Cal-  
siodorus, apud quem reperitur Theodorici Gothorum Re-  
gis ad Aestios, quos ibi Hæstos appellat, epistola gratiarum  
actoria pro succino sibi ab Hæstis misso, cuius epistolæ ini-  
tium hic dabimus: *Hæstis Theodoricus Rex. Illo & illo Le-*  
*gatis vestris venientibus, grande vos studium nostræ*  
*habuisse cognovimus, ut in Oceanis litoribus constituti, cum no-*  
*stra mente jungamini: sicut nobis admodum grata petitio ut*  
*ad vos perveniret fama nostra, ad quos nulla potuimus destina-*  
*re mandata. Amate jam cognitum, quem requisivitis ambien-*  
*tes ignotum — Et ideo salutatione vos affectuosa requirentes,*  
*indicamus succina, que à vobis per horum portatores dicta sunt*  
*grato animo fuisse suscepta: que ad vos Oceanis unda descen-*  
*dens, hanc levissimam substantiam, sicut & vestrorum relatio*  
*continebat, exportat: sed unde veniat, incognitum vos habere*  
*dixerunt, quam ante omnes homines patria vestra offerente,*  
*fusciptis. Sec. IX. Eginhardus in Vita Caroli M. cap. 12. Hunc,*  
*ait, Sinum, (Codanum) multæ circumfident nationes: Dani*  
*scilicet & Sveones & quos Nortmannos vocamus septentrio-*  
*nale litus & omnes in eo insulas tenent, at litus Australis Slavi*  
*& Aisti & alia diversa incolunt nationes. Posterioribus tem-*  
*poribus ulterius versus Septentrionem progressi sunt in Li-*  
*voniam. Eistorum autem in Livonia crebrâ faciunt mentio-*  
*nem Chronica Deutschen Ordens Vid. f. 39. b. 41. b. 42. b.*

XIII. Hos Aestios Germanos fuisse multa persuadent.  
Tacitus meminit similitudinis morum cum Svevis, linguae  
autem similioris Britannicæ quam Svecicæ. Dicit porro fru-  
menta

menta eos, coeterosq; fructus patienti<sup>s</sup> quam pro solita Germanorum inertia laborasse. Accedunt etiam varia locoru<sup>m</sup> nomina, quæ ordo Theutonicus hic jam reperit, & videntur partim à Gothis, ut supra innuimus, partim ab Aestii inventa ut Medenau/ Germau/ Quedenau/&c. Unde etiam hi Aestii venerint, paucis inquirere non pigebit. Phil. Cluverus lib. III. Germ. Antiq. c. XLIV. & XLVI. putat eos fuisse Istevones Rheni accolas, quos Pytheam, Strabonem & Stephanum putat intelligere per Ostiones sive Ostios, quamvis de sedibus Ostionum inter se pugnant. Hos itaque Aestios sive Ostiones sive Istevones existimat longè ante Cæsaris in Galliam Comitatam expeditiones hac commigrasse, succensetq; Goropio Becano, quod Aestios mutaverit in Austrios. Hugo Grotius in Prolegomen. supra citatis comprobat sententiam Goropii Becani, & probathic Aestios sive Ostios, Ostiones sive Austrios habitasse, dictos ab Oriente sole à ceteris Gothis qui in Scandinavia remanserant. Probavit illam derivationem primò indè quia hoc nuditur testimonio Saxonis Grammatici. Deindè quia Orientis vocabulum erant qui aſt pronunciarent ut Aſt-Saxia i.e. Saxonia Orientalis in Anglia. Tandem etiam quia Plinius Glesfariam insulam, quæ est Samlandia Prusorum, expressè appellat Austraniam lib. IV. Hist. Nat. cap. 13. Ex sententia itaque Grotii colligitur, ipsum existimasle Aestios fuisse, Gothos ab aliis Gothis occidentalibus ita vocatos. VId. Grotius l. c. p. II. 41. Ultraque sententia non caret dubio. Migrationis Istevonum in has oras, de qua loquebatur Cluverus, nullum extat in antiquitate vestigium, adeoque merahæc est conjectura. Contra Grotium illud merito assertur, per Glesfariam insulam Austraniamq; non posse intelligi Samlandiam in Prussia, sed aliam aliquam insulam in Oceano Germanico, quæ alluit Cimbricam Chersonesum sive

Jutlandiam. Forsan fuit insula quæ hodie dicitur, de Strant.  
Id enim colligitur ex descriptione Plinii: Quidam, inquit  
Plinius, b.e.c habitari ad Vistulam usque fluvium à Sarmatis,  
Venedis, Scyrris, Hyrris tradunt. Sinum Clylipenum vocari &  
in ostio ejus insulam Latrin. Mox alterum sinum Lagnum con-  
terminum Cimbris. Promontorium Cimbrorum excurrens in  
maria longè peninsulam efficit, quæ Haustisus appellatur XXIII.  
M. passuum. Inde insula Romanis armis cognitæ. Earum nobi-  
lisimæ, Burchana, Fabaria à nostris dicta à frugis similitudine  
sponte provenientis. Item Glessaria à succino militiæ appellata  
à Barbaris Austrania præterque Actania. Toto autem hoc mari  
ad Scaldin usque fluvium Germaniæ accolunt gentes hanc ex-  
plicabili mensura. lib. IV. c. XIII. Quod autem dixerat Gles-  
sariam, Burchanam, Fabariam fuisse Romanis armis cogni-  
tas, id explicat lib. XXXVII. c. III. pr. quando ait: Certum  
est gigni in insulis septentrionalis Oceani (succinum) & à Ger-  
manis appellari glessum, itaque & à nostris unam insularum  
ob id Glessariam appellatam Germanico Cæsare ibi clasibus rem  
gerente Austraviam à barbaris dictam. Ex quibus manife-  
stum est per Glessariam non posse intelligi Sambiam sive  
Samlandiam nostram, ut Grotius, Micraelius aliiq; plurimi  
volunt. Repugnat enim insulæ situs. Vix insuper est veri-  
simile Germanicum Cæsarem huc usque navibus appulisse.  
Nec objici potest testimonium Taciti supra afferentis  
Solos Gotbones succinum, quod ipsi Glessum vocant, intervada  
atque in ipso litore legere. Nam hoc intelligit Tacitus de suc-  
cino optimo, quodque ejus est quantitatis ut ex illo aliquid  
possit effici, alias & in aliis locis vel hodie succinum reperi-  
ri non negamus; hoc tamen est minoris pretiæ, minores  
etiam tantum sunt ejus particulæ, officinis artificum inu-  
tileſ. Et hoc etiam expressit Theodoricus Rex, in Epistola  
sua superiore numero citata, in qua dicebat Hestos ante  
omnes

omnes homines, patria offerente succinum accipere. Tales itaque particulas minores succini sive glessi cum milites Cæsarisi Germanici reperissent, appellarunt insulam illam Glessariam, quæ barbaris dicebatur Austrania. Hactenus igitur de insula Glessaria assentimur Cluvero. Sed quo minus Æstios arbitremur fuisse Gothos, nullam videmus urgenter causam, præsertim si dicamus *Ostiones* alium ab Æstii fuisse populum. Videntur enim Goths sensim ulteriorius progressi, totam Sinus Venetici oram tandem occupasse, & deinde ab aliis Gothis occidentalibus appellati esse Æstii i.e. orientales. Et huic sententiae nostræ favet etiam illud, quod & posterioribus temporibus, quibus Æstii hic habitasse perhibentur, ab ejusdem tamen sequioris etatis Scriptoribus appellantur *Gethæ*, qui secundum illorum sententiam iidem sunt qui Goths. Vid. n. XI. fin. Huc etiam forsitan respicit antiquum Epitaphium Boleslai. I. R. P. cognomine *Chrobry*, quod Sec. XI. pr. positum est, & reperiatur adhuc Posnaniæ in Ecclesia Cathedrali, ubi hæc inter alia reperiuntur verba:

*Tu possest velut Athleta Christi*

*Regnum Slavorum GOTHORUM seu Polonorum.*

Vid. Stanisl. Lubienski in Tract. de Episcopis Plocensisibus in Vita Martialis II. f. 315. Operum.

XIV. Huc usque expeditam habuimus rationem Origines Prussicas investigandi, suppetentibus hinc inde probatorum Scriptorum testimoniis, sed ea quæ sequuntur iniquiora subierunt fata. Nam à Sec. VI. nulla ferè nostrorum regionum sit mentio usque ad Sec. X. si unicum tantum illud Eginhardi testimonium excipias. Defectum hunc supplere volunt Scriptores nostri, quamvis respectu illorum temporum multò sint recentiores, quam ut de ulla migratione idoneum possint præbere nobis testimoniū. Celebris

est illa in Chronicis Prussicis migratio in Prusiam, quæ contigisse dicitur sub PRVTO, & qui eum in Regno excepit, fratre ipsius WIDEWUTO. Quo tempore hæc contigerint non convenit inter omnes. Erasm. Stella lib. 2, Antiq. Pruss. & Albertus Wijuk Kojalovvici Part. I, Hist. Lithv. lib. I, p. 13, ad tempora Valentiniani Imperatoris hoc referunt. Alexander Gvagvinus verò ad An. 503. horum Regum ætatem retulit, in Descript. Pruss. p. 320. De loco etiam & Regno undè illa migratio contigerit non satis apud ipsos constat. Nostra Chronica, ut Grunovii, Hennebergi, Weisselii, ut & quædam MS. Cimbricos vel Scandinavicos illos Principes fuisse asserunt, quos quidam reliquias Gothorum Româ pulsorum fuisse existimant. Lithvani Scriptores ut & Erasm. Stella lib. II, Antiq. Pruss. in pr. Alano-  
norum Reges illos fuisse perhibent. Ipsa Historia à Koja-  
lovicio hunc ferè in modum describitur: *Circa tempora  
Valentiniani An. 366. Alani Duce Littalano à Sicambris casti cù  
Patriam sine probro intrare non poterant, in Prusiam conces-  
serunt, quos Prussi ut populum religione, lingua, ritibus, origi-  
ne socium libenter suscepserunt.* Inde Weidewutus Alanus eo-  
lectus est Rex Prusorum liberis votis. Hic plebem vagabun-  
dam nullisq; sedibus affixam per tribus ac cohortes recensuit &  
certis villarum agrorumque limitibus circumscripti, docuit eos  
agriculturam &c. &c. tandem senio consecutus partitus est re-  
gnum inter filios. Principatum sponte abdicatum in majorem  
natu, volentibus omnibus transfluit. Ne tamen aut Rempubl.  
inter juvenum manus omnino desereret, aut in ordinem redi-  
ctus autoritate omni inter populares excideret, honores calli-  
de auxit quorum fastidium simulabat. Summum se Pontificem  
antequam Principatu abiret creavit. Hæc ille l. c. p. 13. seqq.  
Alii primo apud Prusos regnasse volunt Prutenum, à quo  
etiam nomen Prusie fluxisse dicunt, qui factus Pontifex  
regnum

regnum in fratrem Weidevutum transtulit. Tandem  
cum & hic jam senio debilitatus oneri huic ferendo non  
esset, Pontifex itidem factus, dicitur se cum fratre Bruteno  
Diis patriis immolasse. Vid. Henneb. lib. de V. P. p. 9. 10.  
Weissel. p. 18. a. Filii Weydevuti putantur fuisse duode-  
cim, quorum hæc fuerunt nomina: *Saymo, Neydro, Sudo,*  
*Slavo, Natango, Barto, Galindo, Warmo, Oggo, Pomezo, Colma*  
*& Lituo.* Ab his Partes Prussiæ nostræ dicuntur nomina  
sua sortitæ esse, ut dicerentur: *Samlandia, Nadrovia, Sud-*  
*nia, Slavonia, Natangia, Bartonia, Galindia, Warmia, Ogger-*  
*landia, Pomezania, Culmigeria.* Sed LITUO Prussia relicta  
Lithvaniam hodiernam sibi subjecisse eamque à suo nomi-  
ne appellasse, Alanam quoque gentem omnem è Prussia  
eduxisse perhibetur. Cojalovicz l. c. p. 22. Alii alia de his  
Regibus Alanorum Pruteno & Weidevuto referunt, in-  
hoc tamen convenient omnes, ab his Prussois Veteres o-  
mnem cultum suum, ut & religionem accepisse. Verum  
quid nobis hæc de re videatur paucis aperiemus. Ipsum *Al-*  
*anorum in Prussiam ingressum non negamus quamvis cer-*  
tum tempus determinare nequeamus. Nam hoc non ex  
testimoniis tantum citatorum Authorum, sed etiam ex vi-  
cinitate horum populorū, & forsan etiam ex Lingua Prussi-  
ca Veteri probatur, quæ communis esse potuit Alanis, Lith-  
vanis, & Prussis, ut vicinis populis. A Cimbris hanc migra-  
tionem derivare, ridiculum est, præsertim si attendantur  
circumstantiæ, quas illi hic recensent. Ea etiam fermè  
omnia quæ de Pruteno, Weidevuto filiisque ejus memoriar  
prodita sunt, fabulosa esse nobis perswasissimum est. Nam  
primò cum de his rebus nihil habeant exteri Scriptores,  
quis ea Veterum Prussorum aut Lithvanorum in tantâ po-  
pulorum barbarie literis consignavit, undē sequens ætas  
incorruptam illam haurire posset Historiam? Undē hæc

Cruci-

Cruciferi, qui demū Sec. XIII. à C. N. Prussiam intrarunt,  
depropserunt? Deindē si Prutenus adeò antiquus gentis  
author extitisset, cur neque Jornandes, neq; Theodoricus  
Rex apud Cassiodorum, neq; Eginhardus, ipsos appellant  
Prutenos? & cur ipsos tantum Āstiorū nomine insigniunt?  
Postea non est etiam verisimile fuisse Alanos moratores  
Āstiis & Gothis Germanicis populis, qui antea Prussiam  
tenebant; indē verisimile etiam esse non poterit omnem  
cultum, leges & sacra ab Alanis fluxisse. Porrò quod partes  
Prussiae concernit, si Prussia post mortem Weidevuti in  
duodecim partes fuit divisa, & regiones sive partes Prussiae  
inde fuerunt vocatæ, cur igitur apud alios authores alia ter-  
rarum Prussicarum nomina occurrunt? *Vidioarios ad ostia*  
*Vistulae* habitasse Sec. VI, audivimus supra num. XII, asse-  
rentem Jornandem. Vincentius Kadlubko Scriptor Sec.  
XII. mentionem facit *Pollexianorum*, gentis Prussicæ, ut &  
*Soladimistarum* lib. IV. Chr. Pol. c. XIX. p. 509. Præterea,  
quædam nomina partium Prussiae longè sunt antiquiora,  
temporibus Widevuti, Ptolemæus qui Sec. II. floruit, cum  
Venedicas gentes per totum Venedicum Sinum descripsis-  
set, subjicit, sub Venedis reperiri **GALINDAS**, **SUDENOS**  
& **STAVANOS** usque ad Alaunos lib. III. Geogr. cap. V.  
fol. 81. Iamō sibi ipsis Scriptores nostri contradicunt, quando  
*Culmigeria* nomen ab *Hulmigeris* antiquis populis dictū esse  
volunt. Quod si hoc verum est, quomodo itaque hæc re-  
gio dicta est à *Weidevuti* filio? Tandem si Sec. V. vel VI.  
à **SLAVO** filio *Weidevuti* dicta fuisse pars Prussiae **Slava-**  
**nia**, expedita fuisse origo gentis Slavicæ ex Prussia nostra;  
cum tamen *Slavos* vix ullus Scriptorum ex Prussia deduxe-  
rit. Sed omnes ferè Scriptores, *Slavonia* & *Slavonorum*,  
nomen tandem circa Sec. VI. ortum à *Slava*, derivent, quod  
gloriam

gloriam significat, ut alibi probatur fusius. Quis itaq; non  
videt vocabulum *Schlavania* sive *Schalavania* sequioris esse  
ævi. Si conjecturæ aliquis est locus, forsitan non absonum  
esset dicere, hanc vocem *Slavani* corruptam esse ex antiqua  
voce *Stavani*, apud Ptolemæum occurrente. Præsertim  
autem hoc suspicari licet, quoniam eodem ordine, quem  
adhuc in mappis videmus, tres illi populi ab antiquis Cru-  
ciferorum Historicis conmemorantur. *Galindæ* fuerunt  
*Australiores*, *Stavani* *Septentrionaliores*, *Sudenii* medii in-  
ter priores illos. Sudeni tamen sub adventum Ordinis  
Theutonici in Prussiam, transportati sunt in extrema Sam-  
biae loca ad mare Balticum, teste Jeroschino apud Henne-  
bergerum in tractat. *Von Auseinandersetzung des Landes Preussen*  
pag. 41. a. Cruciferi igitur has Prussiæ partes demum ita-  
divisisse, sicque eas, tum ab antiquo ævo petitis, tum etiam  
eo tempore usitatis gentium Prussicarum nominibus, ap-  
pellasse videntur. Origo tantorum errorum non potest  
esse alia, quam quod Scriptores illi migrationem anti-  
quissimam *Gothicam* ex *Scandinavia* adeò recentem esse pu-  
tarint, acsi aliquot seculis à Chr. Nat. demum contigisset.  
Deinde verò Erasmus Stella, ut vir doctus, legens multa a-  
pud Jornandem de migratione *Gothorum* ex *Scandinavia*,  
quæ huic non conveniebant, distinxit has duas migratio-  
nes, illamque *Gothis*, hanc *Alanis* tribuit; retinuit etiam  
omnes illas fabulas in migratione *Alanorum*, quas Prussi-  
ca & alia Chronica Gothicæ affinxerant. Jam verò cogni-  
to hoc, quod Historici Prussici per hanc *Cimbricam* sive  
*Scandinavicam* migrationem intelligent Antiquissimam il-  
lam *Gothorum*, de qua Jornandes; facile opinionem hanc  
refutare poterimus ex iis, quæ N. X. dicta sunt.

XV. Sunt porro, qui ROMANOS, gentem totum orbe  
clarissimam, huc in Prussiam penetrasse scribant, licet de-

tempore migrationis illius non convenient. Quidam tempus planè se ignorare scribunt, ut Cromer. lib. III. f. 443. Quidam hoc referunt ad *Julij Caesaris* tempora, ubi bellis civilibus exortis Romanorum multi in Lithvaniam & Prussiam commigrasse memorantur, in qua opinione est Dlugoss. T. I. L. II. f. 113. Alii multò seriùs id contigisse scribunt, ut Cojalovvitz, qui hoc refert ad An. 924. Part. I. Hist. Lithv. lib. II. p. 31. seq. Hic iterum ipsum Romanorum in Prussiam Lithvaniamque adventum negare non audemus, quamvis iterum de tempore aliisque circumstantiis non constet. Probari hoc solet non solum ex summo Historiorum recentiorum consensu, sed etiam, quoniam illud non sufficit, ex lingua Prussorum & Lithvanorum, ex nomine urbis Romove, tum etiam ex convenientia variorum rituum Prussicorum & Lithvanicorum cum Romanis. De LIN-GUA Matthias à Michovia: *Advenierunt, inquit, deinde, ut fama est, gentes Romane ob bella civilia Italiam desérentes & promiscuam mansionem cum eis fecerunt Prussiam, Lithvaniam & Samogitiam mixtim constituentes & lingvagium confundentes.* Propter quod multa verba Latinam linguam redolentia, in eorum sermone audiuntur. lib. II. Chron. Pol. c. 8. f. 25. Haufit hoc Matthias à Michovia ex Joannis Dlugossi lib. II. ad an. 997. f. 113, qui eadem tradit. In Fragmentis Michalonis Lithvani de convenientia Linguae Lithvanicae & Latinæ hæc reperiuntur: *Et ignis, & unda, aer, sol, mensis, dies, noctis, ros, aurora, Deus, vir, devir i.e. levir, nepotis, neptis, tu, meus, suus, levis, tenuis, vivus, juvenis, vetus, senis, oculus, auris, nasus, dentes, gentes, sta, sede, verte, inverte, perverte, aratum, occatum, satum, semen, lens, linum, canapum, avena, pecus, ovis, anguis, ansa, corbis, axis, rota, jugum, pondus, culeus, callis, cur, nunc, tractus, intractus, pertractus, extractus, merctus, immerctus, sutus, infutus, versus, inver-*

inversus, perversus, primus, unus, duo, tres, quatuor, quinque,  
sex, septem & pleraque alia idem significant Lithvano sermone  
quod & Latino. p. 265. seq. De quibusdam tamen vocabu-  
lis hic meritò dubitaveris an ex Latino deriventur. RO-  
MOVE urbem, quæ fuit Metropolis Prussiæ à Roma ita fu-  
isse vocatam tradunt Dlugossus, Mechovita & alii. Præ-  
sertim verò Kojalovicii verba notanda sunt, quamvis de alia  
quadam Romova loquatur. Itali, inquit ille, circa An. 924—  
Venedico sive Baltico mari per exigui freti angustias Curonen-  
sem sinum invecti, litus legendi in Ostia Nemenis sive Chroni  
inciderunt, ubi is longo per Russiam, Lithuaniae & Prussiam  
cursu collectas aquas duodecim alveis exonerat. Adverso flumi-  
ne interiora continentis ingressi ad Ostium Dubisca amnis loco  
commodo inter amoenam camporum planitiem prima coloniae  
nova & fundamenta jecerunt. ROMANOVA tunc dicta est, à  
posterioris Romnove & Romove, Krive Kriveiti postea sacrorum  
apud Lithvanos præsidis sedes. Gedimino imperante ab equiti-  
bus Ord. Theutonici funditus excisa. Hæc ille Part. I. Lib. II.  
H. Lithv. p. 31. seq. De RITIBUS Lithvanorum & Roma-  
norum communibus, præter alias quamplures, optime  
differit citatus Michalo Lithvanus: Nos Lithvani, inquiens,  
ex Italico sanguine oriundi sumus. Quod ita esse liquet ex ser-  
mone nostro semilatino & ex ritibus Romanorum vetustis, qui  
non ita pridem desiere apud nos, videlicet ex crematis humanis  
corporibus, auguriis, auspiciis aliisq; superstitionibus adhuc in-  
quibusdam locis durantibus: maximè cultu Æsculapii, qui sub  
eadem, qua olim Romam ab Epidauro commigraverat, serpen-  
tis specie colitur. Coluntur & sacri penates, mares, lares, le-  
mures, montes, specus, lacus, luci. Sed nec admodum diu sacer  
ille perpetuusque, qui cremandis victimis Romanorum Hebre-  
orumq; more forebatur, extinctus est per baptismatis undam  
ugnis i.e. ignis. Quæ de Lithvanis hic ille suis memorat,

Illa & de Prussis nostris dicere possumus, Præsertim verò  
de crematis humanis corporibus. Vid. Dlugossi. I. II. f. 115.  
Henneb. de Vet. Pruss. p. 23. seq. Notandum etiam est adhuc  
hodiè quibusdam in locis Prussiae reperiri urnas cinere &  
semiuistis ossibus repletas. Testantur id Viri fide digni de  
insula Czartowy Ostrów dicta in lacu Sudiniæ Veteris, Spir-  
ding vocato. Testari id & ego ipse possum de campis propè  
Plevisken pagum Samlandiæ ad Pregelam situm, ubi ante  
biennium, si bene memini, quidam eruditi commorantes,  
tumulos hinc inde studiò aggredi terrâ non frustra olim fa-  
ctos esse rati, acceptis à Magnifico atque Generoso Dn. Mel-  
chiore à Rippen Capitaneo Licenti, qui ibidem locorum præ-  
dia sua habet, aliquot fossoribus, unum tumulum aperie-  
runt, in quo aliquot urnæ repertæ sunt. Una huc Regio-  
montum allata est, quam oculis meis vidi. Locum etiam  
ex quo effossa est ante annum lustravi, & plures ejusmodi  
tumulos effodi curassem, nisi continuis imbribus fuissem  
impeditus. De cultu Serpentis, Potrimpo dicati, Vid. Hen-  
neb. in tr. de V.P. p. 11. & 12. De perpetuo igne, qui erat Circu-  
no dicatus, Vid. idem p. 11. a. Illa igitur quæ de Ritibus Prus-  
sorum & Lithuanorum dicta sunt, ut & alia, satis sunt proba-  
bilia, si illud excipias, quod de via, qua ingressi sunt has a-  
ras Romanii, dicebat Kojalovicius. Probabiliorē & faci-  
liorem nobis viam monstrat Casp. Peucerus, & ex eo Joach.  
Cureus, qui in Annal. Siles. f. 36. ait: *De Origine gentis Prus-  
sice neminem probabilius quid afferre, quam D. Peucerum Vi-  
rum Clariss. qui putat eos in illas regiones Arcticas desertas tunc  
à Slavis qui sese in Pomeraniam & Poloniam infuderant mi-  
grasse ex Valachia, & fuisse olim colonos Italicos collocatos in  
Valachiam ab Imperatoribus Gracis ut arcerent Slavos ab Im-  
perio Constantinopolitano, sed superatos tandem multitudine  
& vi Slavorum patriam reliquisse. Etsi autem posteritas inter  
barba-*

barbaros, ut ille inquit, barbarā factā est, tamen aliquos mōres gentis Italicae veteris in quotidiano usū balneorum, in ritu funeris, in cremandis cadaveribus suorum retinuerunt:

XVI. Nec desunt, qui Prusos Veteres à BORUSCIS adeo que à Russis ipsis accetsant. Borusci enim tempore Ptolemaī ad montes Riphæos habitabant. Ptolem. l. III. c. V. f. 82. Riphæos autē montes ponit Plinius, licet secundū quosdā male, in eo loco ubi Tanais Originē suam habet adeoq; in hodierna Russia. lib. IV. c. XII. f. 58. Est in hac opinione de Boruscis Erasmus Stella lib. I. Antiq. Borusl. circa fin. ubi dicit, populos ad Riphæos montes habitantes perpetuis nivibus & algorib⁹ huc compulso esse. Approbat h̄c Cromer. L. III. f. 442. seq. Inter multas, inquiens, Sarmatia Europæ gentes Borusci à Ptolemaeo in Geographia ad Septentrionem valde remotiponuntur, in ea ora quam nunc Livones & Moschi, ut opinor, obtinent ultra Cherniscum annem Riphæis vicini. Eos ego aliquo tempore ad meridiem & occidentem progressos magnam Germania partem qua ab oriente Russis & Moschis conjungitur à meridie nemoribus & Hercinio saltu clauditur & omnem illum tractum quis secundum Venedicisive Baltici sive Codani Sinus litus usq; ad Vistulam & Ossam fluvios pertinet tenuisse, & Borusos & Prusos deflexo paululum nomine dictos esse cum Erasmo Stella crediderim. His opponit se Cluver. lib. III. Germ. Ant. c. XLIV. f. 193. dicitq; delirare eos, qui Boruscos Ptolemaeo apud Riphæos montes memoratos populos corrumpunt in Borusos, interpretantur, Prusos. Sed nullas dissensionis suæ addit causas. Nos adeo improbabilem illam sententia esse non existimamus, cum nobis pro hac sententia suppetant argumenta nō contemnenda. Ut enim vicinitatem illarum vocum Borusci, Borussi, Prussi jam omittam, quod tamen hic non exiguum habet pondus, illud tantum quod iterum de Lingua Boruscorum & Prussorum notatur commemorabo;

Erasm. Stella I, i. Antiq. Boruss. probans sententiam suam de Boruscis addit: quia usque hodiè populi ad Riphæos montes habitantes eodem parig sermone, quo hi utuntur. Nec intra verba tantum consistit nostra probatio. Adsunt adhuc formulæ quædam Veterum Prussorum in variis casibus olim usitatæ, quæ prorsus sunt Russicæ, & sine dubio populis illis ad ortum Tanais vel hodie intelliguntur. Joannes Meletus scripsit Epistolam ad Georg. Sabinum primum Acad. nostræ Rectorem Magnificum perpetuum, *de Religione & sacrificiis Veterum Borussorum*, in qua tales formulas notavit: Lamentationes funebres dicit fuisse has: Halele/lele/y procz ty mene umarl: y za ty nie miel fsto fesfy/ albo pity y procz ty umarl: Halele/lele/ y za ty nie miel krasfimlodzice y procz ty umarl: i.e. Heu, heu, quare mortuus es? Num tibi deerat cibus & potus, quare ergo mortuus es? Heu, heu, annon habuisti formosam conjugem? quare tu mortuus es? Deinde & illam formulam notat: Jely/pily Dufyce. i.e. Edistis, bibistis (vel potius ederunt, biberunt) animule. Quæ verba Russica esse Russi ultrò agnoscent. Literæ quoque Veterum Prussorum ad Russicas aliquo modo accedunt. Videre autem Prussicos characteres (si modò non sint à Grunovio conficti) possumus in insignibus Regis Weidevvti, in quibus depictæ fuerunt imagines trium Deorum Percuni, Picalli, Potrimpi. ap. Henneb. in tr. de Vet. Pr. p. 22. ex Grunov. tr. 2. c. 5. & alios adhuc ap. Schütz in prima Edit. Chronicorum fol. 9. Sed hic dubium oritur non exiguum, si cum his conferantur ea quæ à nobis dicta sunt n. V. Ibi enim probavimus Veterem Pruss. linguam fuisse fermè Lithvanicam, quæ cum Russica non convenit, nisi in quibusdam tantum voculis, quomodò igitur Vetus Prussica lingua potuit simul esse Lithvanica ferè, & simul Russica? Fatoe, hæc me diu dubium tenuisse, imò jam non raro in men-

mentem venit cogitare , Meletium has formulas aut confinxisse , aut non in Prussia , sed alicubi apud Russos , ubi etiam commoratus est , audivisse . Sed retraxerunt me idem ab hac sententia illa Meletii verba ex ep. ad David . Chytr. de Relig. Russorum , quibus Viro undique Doctissimo , quem fallere non poterat , aut certè non debuerat , contestatus est , se sibi tantum visa , sibi auditæ , vel etiam ab hominibus fide dignis accepta scribere . Tandem illa sequenti modo conciliari posse animadverti . Notum est vel hodiè in Prussia non unam in usu esse linguam . In quibusdam Districtib⁹ Germanica , in quibusdam Polonica , in quibusdam Lithvanica obtinet . Ubi igitur hodiè Polonica & Lithvanica lingua vigent , ibi etiam olim easdem viguisse non est quod dubitemus . Nam si Cruciferi in locis Polonicis linguâ Prussicâ extinctâ aliam introducere voluisserint , sine dubio introduxissent Germanicam , ut Germani ipsi , non Polonicam vel Lithvanicam , quas non intelligebant . Si igitur & ante adventum Ordinis Theutonic⁹ lingua Polonica in multis Prussiæ locis in usu fuit , indicio nobis esse potest , illos populos non ejusdem esse Originis cum cœteris Prassis . Aut igitur hi simul cum Polonis circa Sec . VI. & VII. à Ch. N. è Russicis oris huc concesserunt , aut etiam postea è Russia progressi , hic sedes suas fixerunt , tandem etiam Russicum idioma in Polonicam hīc abiit dialectum . Hic itaque Meletius formulas illas potuit audivisse , ubi etiam adhuc hodiè intelligi queunt . Sed neq; hic omnis difficultas jam sublata est . Dicas enim , si olim diversæ hic in usu fuerunt linguae , quidni potuisset Willichius alicubi etiam cum Prassis Græcisando loqui ? Sed alia est ratio Lingue Polonicae , quam Græcae . Nam Scriptores illi qui Prussicam linguam ex Græca fuisse corruptam asserunt , eandem simul esse dicunt , quæ cum Lithvanica maximam habuit

con-

convenientiam, adeoque ipsam linguam Lithvanicam putant esse ex Græca corruptam. Ast in horum Prusorum omnium gratiam Marchio Albertus Catechismum Prussicum confici curavit, ex quo tamen ne vestigium quidem idiomatis Græci licet deprehendere. Idem autem idioma obtinuisse in Warmia sive Ermelandia, undè oriundus erat Willichius, testabatur supra N. V. Cromerus.

XVII. Alii tamen licet Prussos non asserant à Borussis esse dictos, à vicinitate tamē Russorum arbitrantur hoc vocabulum esse deductū, ita ut Borussi vel Prussi sint vicini Russorum, Sed hic objicias, Russos nunquam fuisse Prussorum vicinos. Verum facile est demonstrare, Russos maximē fuisse Prussis conterminos. Testantur id Veteres Historici passim. Adamus Brem. Tertia, inquit, insula est illa que Semland appellari solet, contigua Ruzzis. lib. de Situ Daniæ & reliquo Septentr. Regn. p. 147. Dithmarus Mersburg. de Brunone Episcop, consanguineo suo; In dyodecimo, ait, conversionis ac inclitae conversationis sua anno ad Prussiam pergens steriles hos agros semine divina studuit secundare — Tunc in confinio prædictæ regionis & Russie cum prædicaret, primò ab incalvis prohibetur, & plus evangeliizans capitur. lib. VI, Chron, circa fin. Hilmoldus: Litus, ait, Australe (maris Baltie) Slavorum incolunt Nationes, quorum ab Origine primi Ruzzi, Deinde Poloni, habentes à septentrione Pruzzos ab Austro Bohemos i. i. Chron, Sl. c. i, Deinde Russus etiam amnis in lacum Curonensem, se evolvens non aliudne forsitan nomen suum habet quam à Russis. Ex hac vicinitate quoque factum est ut à Radevico Sec. XII, Scriptore, Ruthenii cum Prutenis confundantur. Hic enim fines Regni Polonici describens, dicit, Poloniā ab Oriente habuisse Oderam fluvium, ab Occidente Isthmam, à Septentrione Ruthenos & mare Scythicum (i. e. Balticum) à meridie Silesias Boemorum i. j. de Gest. Frid. Barbarossa Imp.

c. i. Quomodo autem à vicinis Russis nōstri appellati sint  
Prussi, & à Ruthenis Prutheni ratio reddi potest ex ipso vo-  
cis Slavonicæ etymo. Ut enim Pomerani, Polonicè Pomor-  
zani quasi Podmorzani i. e. qui sub mari habitant, vel,  
maris accolæ, item Polabiani sive Polabini sive Polabi Sla-  
vi dicuntur, quia fuerunt accolæ fluvii Labe (sic hodiè ad-  
huc Slavi appellant Albim fluvium) Sic etiam Porussi sive  
contractè Prusii, dicti sunt populi nostri i. e. accolæ Russo-  
rum. Sed licet Russi nunquam fuisse Prussis contermi-  
ni, nihil tamen adhuc decederet sententiæ nostræ. Etenim  
cui ignotum est, gentes sāpius nomina accipere ab exteris?  
Erraverint igitur Germani Scriptores circa sedes Russorum,  
potuerunt tamen ex errore hoc nomen ipsis imposuisse,  
quod nomen deinde ab ipsis incolis est receptum. Sed  
non est necesse ut erroris Historicos illos arguamus. Illi  
enim omnes hos, qui una origine tum utebantur lingua,  
ut Lithuanos, Livonos, Curonos, Samogitas, Prusos, unam esse  
gentem putarunt. Et quidem rectè. Tum enim adhuc gen-  
tium illarum nomina fuerunt obscura, immo etiam quædam  
eorum nondum inventa, quæ tamen gentes omnes com-  
muni ferè lingua, moribusque communibus, sine Principe,  
liberè vivebant.

XVIII. Prussi itaque aut dicti sunt à Boruscis populis,  
aut etiam à finitimiis Russis & amne Russo, quamvis utramq;  
sententiam rejiciat Cluverus lib. III. G.A. c. XLIV. Nunc  
dispiciendum nobis erit, quando nomen illud Prussorum  
orbi innotuerit. Cluverus primum, quorum scripta extant,  
hujus nominis meminisse putat Helmoldum, apud quem,  
ut & apud M. Adamum Bremensem sunt Pruzzi ex patria Lu-  
becensium, Hamburgensium ac Bremensium dialeto, qua dicun-  
tur vulgò Prützen, ut ait l. III. c. 44. Sed Adamus Brem. apud  
quem nomen hoc aliquoties occurrit, est Helmoldo anti-

quior, octoginta præterpropter annis. Nam Adamus vixit  
sub Henrico IV. Imp. circa an. 1067. Helmoldus verò scri-  
psit Chron. suum circa An. 1140. obiitque An. 1170. Occur-  
rit etiam nomen Prussiæ apud Anonymum quendam Vitæ  
S. Adalberti Scriptorem, Adalberto covæum, ut ex ipsius  
constat verbis: *Erat autem istis diebus Roma Imperatrix The-  
ophania mater ejus qui modo regnat Tertius & Deo juvante ma-  
ximus Otto.* Exhibit hanc vitam Canisius T. V. Ant. Lect.  
quæ malè à quibusdam attribuitur Cosmæ Pragensi, qui de-  
mùm Sec. XI. sub Henrico IV. Imp. vixit. Occurrit etiam  
nomen Prussiæ in alia Vita S. Adalberti Anonymi cuiusdā,  
etiam Sec. X. Scriptoris, ut ex illa ipsa vita colligitur, & hanc  
habet Laur. Surius T. II. ad d. 23. April. Hi Authores ante-  
Helmoldum patriam nostram appellant *Pruzziam* vel *Pru-  
ciam*. Posteriorum Seculorum Scriptores mirè corruperunt  
hanc vocem. Sigebert. Gemblac. ad an. 977. n. 6. f. 587.  
vocat populos hos *Brutios*. Et ad an. 1015. n. 13. f. 592. *Brū-  
chios*. Marianus Scotus ad an. 995. n. 12. f. 449. nescio de  
quanam civitate dicta *Aprutis*, somniet, in qua vult esse  
passum S. Adalbertum. Facilis autem erat circa regionem  
longè dissitam, & needum armis Imperatorum Germani-  
corum tentatam, error. Fallitur enim nonnemo, qui Prus-  
sos ab Ottone M. domitos esse scripsit in Dissert. de Reb.  
Prussi. n. 2. Nec patrocinatur ipsi Helmoldus, quem pro se  
allegat, quippe qui de Boleslao Poloniæ Rege hoc asserit,  
*quod confederatus cum Ottone III. omnem Slaviam quæ est ul-  
tra Odderam tributis subjecerit: sed & Russiam & Prussos, à  
quibus passus erat Adalbertus Episcopus. l. i. Chr. Sl. c. 15. De  
Ottone M. ibi nihil habetur.*

XIX. Has gentes Prussiæ Veteris plurimi odioso cru-  
delium nomine infamant, illisque nescio quam truculen-  
tiam & ferinam barbariem tribuunt. Vinc. Kadlubko de  
Polle-

vixit  
scri-  
ccur-  
Vita  
psius  
Theo-  
ema-  
Lect.  
i de-  
tiam  
nsdā,  
hanc  
nie  
Pru-  
runt  
587.  
Bru-  
de  
sse  
nem  
ani-  
Prus-  
Reb.  
ro se  
erit,  
bul-  
s, à  
De  
cru-  
en-  
de  
lle

Pollexianis: *Sunt autem, inquit, Pollexiani Getarum seu Prusorum genus, gens atrocissima omnium ferarum immanitate truculentior.* l. IV. Chr. Pol. c. 19. p. 510. Et J. Dubravius Prusos brutis ipsis magis brutos fuisse dicit, in Hist. Boh. l. VI. ubi de martyrio S. Adalberti agit. Nos utut non negemus Prusos illos Veteres flagitiose egisse, quod Viros sanctos persecuti sint, (quod tamen flagitium ipsis communne fuit cum plerisque Ethnicis) interim tamen in aliis rebus Prusos plerosque fuisse humanissimos asserimus. Testantur hoc Scriptores etiam extranei. Adamus Brem. hoc ipsis posuit Elogium: *Semlandiam inhabitant Sembi vel Pruzzi, homines humanissimi, qui obviam tendunt ad auxiliandum his, qui in mari periclitantur, vel qui a piratis infestantur. Aurum argentumque pro minimo ducunt, pellibus abundant peregrinis, quorum odor nostro orbi latiferum superbia venenum propinavit. Et illi quidem ut stercora hac ad nostram fortè habent damnationem, qui per fas nefasque ad vestem ambelamus marturinam, quasi ad summam beatitudinem.* Itaq; pro lanceis indumentis quæ nos dicimus Paldones illi offerunt tam preciosos martyres. Multa ergò possent ex illis populis dici laudabilia in moribus, si solam fidem Christi haberent, cuius Predicatores immaniter persequuntur. Apud illos enim Illustris Boemorum Episc. Adalbertus martyrio est coronatus &c. lib. de Situ Dan. & reliqu. Septentr. Regn. c. 227. (77) p. 147. Helmoldus etiam: *Pruzzi, inquit, necdum lumen fidei cognoverunt, homines multis naturalibus bonis prædicti, humanissimi erga necessitatem patientes.* His subjicit omnia illa Adami verba quæ modò adduximus. l. i. Chr. Slav. c. 1. Jordanem quoque supra n. XII. audivimus asserentem Aestos accolias maris Svevici, i.e. Baltici, fuisse pacatum genus omnino. De liberalitate ipsorum erga pauperes. Vid. Henneb. in tr. de

V. P. p. 19. Ubi testatur in Prussia propterea "nulos fuisse mendicos.

XX. Ultimæ migrationes, quæ sunt GERMANORUM, contigerunt à Sec. XIII. cum Ordine Theutonico, de cuius Origine agere jam non est hujus loci. Vid. Polyd. Vergil. de Rer. Juvent. l. 7. c. 5. Sigon. l. XV. de Regn. Ital. an. 1192. Aubert. Miræus de Orig. Equestr. l. 1. c. 2. seqq. Franc. Menennius in Deliciis Equestr. Franc. Modius de Ordinib. Ecclesiast. Item Chron. Schüzii, Weisselii &c. Hic paucis videbimus, quomodo sibi Ordo Theutonicus Prussiam subjecerit & postea Colonias in Prussiam duxerit. An. Chr. 1220. Lescus Albus, fratri suo CONRADO concessit in Comitiis Sendomir. Masoviam. Has oras Prussi, ut sibi conterminas & injuriis oportunas, injuriis forsan prius lacesisti, maximè infestabant. Cumque Conradus Masoviæ Dux de Polonorum auxiliis desperaret, necessitate adactus, accersivit Ordinem Theutonicum in Prussiam. Huic Ordini tradidit Culmensem tractum & quicquid terræ est inter Vistulam, Mocram & Drevantiam flumina, his legibus, ut contra Prusos, sedulò bellum gererent, ubi verò eos domuisserent Chelmensem ditionem redderent: cætera verò quæ de barbaris cepissent arbitrio bonorum virorum ex aquo secum, sive cum posteris suis partirentur, contra Polonos nil hostiles tentarent, & hæc omnia pacta sunt sub pœna amissionis bonorum. Hæc ex antiquo scripto Germanico à Stanisl. Hossio sibi communicato recenset Cromerus l. VII. circa fin. f. 580. Ordo Theutonicus autem contrarium semper defendebat, producebatque Friderici II. Imp. Diploma, in quo ille confirmavit ipsis possessionem terra Culensis & quicquid ii de Prussis postea ceperint itemque ditionem quam eis Conradus Dux Masoviæ deinceps abhuc donaturus esset, inter Prussiam & Novam Marchiam. Vid. Cromer. l. c. Caspar Schuzius

Schuzius etiam illud de restitutione Culmensis tractus & de divisione Prussiae subigendæ in dubium vocat, incredibile esse existimans, Cruciferos sine debita & justa laborum remuneratione tanta fuisse pericula subituros. Cum Schüzio & nos facimus, & habemus in hoc prævium Authorem Chronici Ord. Theut. f. 35. a. Vid. & Schuz. f. 17. Dum hæc gerebantur, quartus (à primo Henrico à Walpot) Magister Ord. Theut. fuit HERMANNUS à SALZA, sub cujus auspiciis fratres Ordinis, impetratis à Conrado Landgr. Hasf. auxiliis, ingressi sunt in Prussiam. Et quidem quicquid nobis est ultra Vistulam brevi tempore occupavere. Exinde transmisso fluvio vetustam & latè patulam quercum in castelli modum erectis propugnaculis juxta ripam muniverunt, ibique collocato præsidio Prutenos vexare cœperunt. Pugnatum est pro quercu, sæpiusque Prussi repulsi sunt cæsique. Quo in loco munita fuit quercus, deinde ædificatum est nobile oppidum, secundum quosdam *Marienburgum*. Vid. Æu. Sylv. in Descript. Europ. c. 29. secundum alios *Thorenium* *vetus*. Henneb. in Chron. p. 452. tit. Thorn. His perfectis Hermannus à Salza creatus sibi in Prussia vicario (Landmeister) Hermanno à Walde discessit in Germaniam ad auxilia à Principib. Germanicis contra Prussos gentiles impetranda & simul Germanos animandos, ut in Prussiam excolendam commigrarent. Quotannis fere postea auxilia Ordini missa sunt. Sequentes etiam Ordinis Magistri Conradus Landr. Hasf. & Poppe de Osterna ad hanc dignitatem in Germania erecti magnis cum copiis ingressi Prussiam, magnos etiam progressus brevi tempore contra gentiles fecissent, nisi Sventopelcus Pomeran. Dux perfidè Prussis suppetias tulisset. Hinc Reges & magni Principes, ut gloriata Prussiae subactæ conversæque ad Christum obtinerent, Prussiam, magnis exercitibus stipati, petierunt. Præ-

cipua fuit illa expeditio quam suscepit Ottocarus II. sive Primislaus II. Rex Bohem. An. 1355. multis Principibus comitatus, tum etiam Samlandia subacta & ad fidem Christianam suscipiendam coacta est. In hujus Regis memoriam condita est urbs Regiomontum. Celebris est etiam expeditio Ottonis Brandeb. An. 1266. in Prussiam suscepta, ubi arcem Brandenburgensem condidit Marchio & cum à Prussis esset deleta, reversus ob eam tantum rationem, reædificavit eandem. Vid. Chron. Ord. f. 73. seq. Quasi jam tum animo præcepisset optimus Princeps, aliquando Marchiones Brandenburgicos hic rerum potituros, ideo nominis Brandenburgici memoriam noluit deleri. Gestum est bellum hoc cum Prussis totos LIII. annos, quo temporis spacio ingens vis hominum è Germania huc commigravit.

XXI. Et cum antea Vetus Prussia nullas haberet urbes, exceptis Romanova & Gedano, paucisq; arcibus ligneis ut Honeda, Peilpeilo, &c. tum à Germanis condi passim urbes arcesque cœperunt. Prius illud de Prussia testatur Vinc. Kadlubko l. 3. Chron. Pol. epist. 31. p. 375. ubi de Boleslao Crispo Duce Polonorum: *Itaque, ait, in globum coacta exercitatisimorum numerositate Geticas (Prussicas) parat irrumperere provincias, nulla prorsus arte munitas; sed situ inaccessibiles.* & l. 4. c. 31. p. 512. dicit nullum fuisse suo tempore usum municipiorum apud Prussos, qui eosdem urbium babuerint muros quos & fere. Ex quibus patet errare Dlugossum l. II. ad an. 1015. f. 153. dum scribit jam Boleslaum I. Pol. Regem in Prussia præter Romanam sedem sive Romove etiam nonnulla castra oppugnatione cepisse ut Bulgam & Radzin; cum haec arces longo tempore post conditæ sint, ut ex dicendis patebit: nisi forte Dlugossus per Bulgam & Radzin intelligat alias arces, ibi locorum sitas ubi postea Balga & Radzin condita sunt. Posterius verò nempe Ordinem Theu-

Theutonicum urbes demum condidisse, testantur ubique  
Chronica nostra. Nos pauca de Urbibus Prussicis adjicie-  
mus. Quod *Romam novam* sive *Romove* urbem concernit,  
de ea ferè certò scire non possumus ubi sita fuerit, ob ma-  
gnum dissensum Scriptorum Prussicorum. Primo, sunt qui  
urbem hanc stetisse putant, ubi hodiè oppidum *Heilgen-  
beil*. *Gvagvin*, in Descript. Pruss. & Kojalovicz Part. I. Hist.  
Lithv. lib. I, p. 21. Deinde alii urbem Romove ponunt in *Ga-  
lindia*, forsitan eo in loco ubi hodiè adhuc est pagus à Polonis  
dictus *Rumi*. Schuzl. I. f. 3. b. Tertiò, Author quidam Bel-  
gicus *Anonymous* in tr. cui titulus: *Historie van t' Land van  
Prüssen* putat Romove fuisse, ubi nostra ætate *Marienburgum*  
est. p. 15. Fluxit hæc opinio ex eo quod quidam querum-  
ibi ingentem communivisse Germanos asserant, ubi ho-  
die *Marienburgum* est. Vid. n. XX. Quartò, alii in *Anstechia*  
*Curlandia* provincia maritima primariam illam sedem Ro-  
move constituunt, ut Stanisl. Sarnitius, lib. VI. Annal. Pol.  
f. 286. & fol. 293. seq. Sed Sarnitius forsitan de alia Romano-  
va loquitur. Notant enim quidam, plures fuisse ejus no-  
minis urbes apud has gentes. Indè Kojalovicz, qui Ro-  
manovam Prussicam ponit, ubi hodiè est *Heilgenbeil* oppi-  
dum, aliam tamen ponit in Lithuania, uti jam n. XV. no-  
tavimus. Eadem itaque Romove forsitan intelligit Sarni-  
tius, quam commemoravit Kojalovicius, licet in loco non  
omnino convenienter. Quinto, alii in *Natangia* Romove  
urbem fuisse scribunt, ubi hodiè monasterii, *Trifaltig-  
keit* dicti, rudera reperiuntur. Henneberg. in Chron. tit.  
*Trifaltigkeit*. Weissel. in Chr. Pruss. p. 17. Sexto sunt qui in  
*Nadravia* Romove urbem collocant, ut author *Chronici*  
MS. in 4. p. 14. b. Alii *Septimò* dubiè hac dere loquuntur:  
Ut Author *Chron. Ordin.* Theut. apud quem hæc habentur:  
Auch hatten sie in diesen Landen *Heidnische Pfaffen und einen*  
*sondern*

sonderlichen Bapst / welchen sie für heilig hielten / nach ihrer  
Heidnischen weise. Derselbe Bapst hatte allezeit seine Woh-  
nung auf Samland oder Nadrauen zu einem Dorfse Romau  
nach Nome genannt. in Herman. de Salza. f. 28. b. Sed hæc  
sententia videtur eadem esse cum sexta. Forsitan enim Au-  
thor tantum dubitavit quod hunc pagum, Romau, debuerit  
referre an ad Samlandiam, an vero ad Nadrauiam, quoniā  
in confiniis utriusque Provinciæ situs fuit. Inter has sen-  
tentias probabilissima nobis esse videtur, quam quinto lo-  
co posuimus, ut & alii ostenderunt. Discimus tamen hic o-  
biter quantam fidem habere debeamus Chronicis nostris  
de Veteri Prussia disserentibus, utpote quæ neque prima-  
riam Prussorum urbem nobis describere, neque locum e-  
jus, ubinam steterit certo designare possunt. GEDANUM  
sive DANTISCUM antiquam esse urbem cognoscimus ex  
Anonymo Scriptore Sec. X. supra citato: qui martyrium  
S. Adalberti describens, ipsum urbem Gedanie adiisse scri-  
bit. Hinc quando alii urbis hujus initia referunt ad Annū  
1185. ad tempora Principis Subislai, intelligendum hoc for-  
san erit de amplificatione, aut de restauratione hujus ur-  
bis. De nomine Gedani & Dantisci variæ sunt opiniones.  
Alii enim à Gotbis & Danis conditoribus, alii à Sinu Co-  
dano, alii à Germanico Danzen/ alii aliundè derivant Vid.  
Cranz.l.6. Wandal.c.7. Cluv.l.3. G.A.c.34.& l.1.c.26. Schuz,  
Henneb. & alii, ubi multa fabulosa occurunt. Alias ur-  
bes arcesque primarias condidit Ordo Theutonicus hoc  
ferè ordine. Thorn An. Chr. 1231. Sed urbs hæc transposi-  
ta est in alium locum An. 1235. Culm. 1232. Althaus. 1232,  
alii alio anno. Marienwerder. 1233. Elbing. 1237. Valgal-  
Neydenburg. 1238. Christburg. 1247. Memmel ab Ord. En-  
siferorum Livonico condita An. 1250. Treuhsburg 1252. (1253)  
Königsberg. 1255. Ragnitt. 1255. Braunsberg 1255  
postea

postea an. 1279. translata est in alium locum. Tapiau. 1262.  
Brandenburg & Drefelsburg arces. 1266. Lochstädt. 1270. Ries-  
senburg. 1277. Marienburg. 1279. Straßburg. 1285. Mewe  
& Tilsit. 1289. Fischhausen. 1289. Holland. 1290. (1329.)  
Neuhauß. 1292. Graudenz. 1299. Heiligenbeil. 1304. Christ-  
mennel & Friedland. 1312. Cinten. 1313. Wormit. 1316.  
Schippenbeil. 1319. Gerdau. 1325. Heilsberg. 1320. (1240.)  
Wartenberg / Bischoffswerder & Guttstadt. 1325. Moruna  
gen. 1327. Salfeld & Rastenburg. 1229. Angerburg & Wes-  
lau. 1335. Jürgensburg & Insterburg. 1336. Nischel. 1337. Gil-  
genburg & Wartenstein. 1331. Passenheim. 1388. Domnau.  
1400. Nordenburg. 1405. Allenburg circa An. 1410. Hæ ut-  
bes omnes à Germanis partim accitis, partim ultro venien-  
tibus excutæ sunt, quorum posteri sine dubio multi adhuc  
reperiuntur.

XXII. Quod Ordinem Equestrem, primarium Pro-  
vinciæ nostræ decus, attinet, non adeò multæ familiae ho-  
die supersunt, quarum Majores in Prussia subigenda desu-  
darunt. Plurimæ enim post devictam Prusiam huc con-  
cesserunt. Harum omnium Origines investigare non per-  
mittunt hæ pagellæ, nec si permitterent, illud præstare pos-  
semus; cum multarum familiarum Genealogias non ha-  
beamus. Itaque de his tantum nobis sermo erit Nobili-  
bus, qui in Prussia Ducali habitant & quorum genealogiae  
ad manus nostras pervenerunt. In ordine non observabi-  
mus antiquitatem familiarum (hoc enim ad propositum  
nostrum non facit) sed ingressum in hanc Provinciam, cu-  
jus Origines investigamus. Antiquissimam, inter has quæ  
hodiè in Prussia Ducali supersunt, familiam equestrem  
**WALLENRODIORUM** fuisse deprehendimus. Jam e-  
nim sub Poppone de Osterna Mag. Ord. Theut. circa An.  
1250. quidam *Walrod* Praefectus fuit Ermelandia, ut habet

Chron. Ord. Theut. f. 70. a. quamvis non nesciamus alios  
hoc nomen aliter scripsisse, ut Wolrath/Bulrath/Bolrath/  
adeò ut alicui in mentem venire posse, fuisse hoc præno-  
men Præsidis illius. Deinde tanta fuit hujus familiæ au-  
thoritas, tanta fuere merita ut etiam An. 1391. Conradus à  
Wallerodt electus sit in supr. Ord. Theut. Magistrum, to-  
tius Prussiae aliarumque Provinciarum Dominum. Origo  
hujus familiæ Franconica est, ex qua hodie vivit Per-Illustr.  
atque Generosiss. Dn. Dn. JOHANNES ERNESTUS  
à WALLEROD Supremus Provinciæ hujus Magister,  
RÖDERIORUM nomen à principio Ord. Theut. hic ce-  
lebre fuisse reperimus. Nam An. 1261. sub Poppone de  
Osterna quidam Rederus in pugna ad Pokarvvin genero-  
sum profudit sanguinem. Henneb. in Chr. Pr. f. 15. & 33.  
SCHAKIOS circa eadem tempora contra Prussos forti-  
ter se gessisse legimus. Vid. Stanisl. Sarnit. lib. VI. f. 294.  
seq. KOSPOTHII in princ. Sec. XIV. Prussiam intrarunt.  
Nam Henricus à Kospoth militiæ Præfector cum Illustr.  
Henrico à Plauen sub Sigfrido à Feichtvangan An. 1309.  
in Prussiam descendit. Et an. 1345. Joannes à Kospoth  
Commandator fuit Lipstadiensis & Morungensis. Ori-  
go familiæ est ex Italia, quæ sub Claudio Druso Nerone  
in Franconiam migravit, & ex Franconia per alias etiam  
Germaniæ Provincias dilatata est, donec & in Prussia  
nostra sedem figeret. Burggrabi & Comites de DOHNA  
Sec. XIV. Prussiam ingressi sunt. Jam enim ante trecen-  
tos annos quidam ex hac familia cum Principe Silesia in  
Prussiam venit cum copiis auxiliariibus. Sed cum hic in  
Germaniam esset regressus Stanislaus postea à Dohna  
ex domo Krachtensi hic sedem fixit. TETTAVII ex Bo-  
hemia oriundi sunt. Postquam verò latius ampliata eo-  
rundem propagine Voitlandiam ingressi sunt, vixit inter  
eos

lios  
ath/  
eno-  
au-  
us à  
to-  
igo  
str.  
US  
ter.  
ce-  
de-  
ro-  
33.  
tri-  
94.  
int.  
str.  
09.  
oth  
Dri-  
ne-  
m-  
ia-  
NA  
en-  
in  
in  
so-  
co-  
ter  
os  
eos Wernerus à Tettau qui suo sumptu An. 1404. auxilia-  
rem Ordini Theutonico submissurus militem Borussiam  
accessit. Hunc secuti alii Tettavii, donec tandem Wil-  
helmus à Tettau animum ad nuptias applicuit, à quo ho-  
dierna familia Tettavorum genus suum dicit, ex qua et-  
iam hodie est. Per-Illustr. atque Generosisf. Dominus Dn.  
**JOHANNES DIEDERICUS à TETTAU** Prusiae Cancella-  
rius. Circa eadem tempora STERNBERGII floruere, ex  
quibus An. 1413. Michael Rüchmeister von Sternberg in  
supremum Ordinis Theuton. Magistrum, Prusiae & aliarum  
Provinciarum Dominum electus est. TRUCHSESII  
è domo Weßhausen eodem Sec. ad summam in Prusisia  
dignitatem ascenderunt. Martinus enim Truchsesius à  
Weßhausen itidem supremus Ord. Theut. Magister elec-  
tus est An. 1477. Origo gentis hujus est ex Franconia.  
RAUTERII fermè ab An. 1420. ex Austria progressi, in  
Prussia floruere. OSTAVII etiam ab An. 1434. Prussiam  
incoluere. Primus hujus familie in Prussia propagator  
fuit Joannes ab Ostau sub Paulo à Rusdorff. FINKII à Fin-  
kenstein eodem tempore in Prussiam se contulerunt, quo-  
rum primus Conradus Fink, ab arce Finkenstein dictus, ex  
Bohemia cum Ord. Theut. hic commigravit. EYLEN-  
BURGII Liberi Barones ex Saxonia sunt. Primus qui Prus-  
siam ingressus est, fuit Vendt sive Wenceslaus L. B. ab Eylen-  
burg An. 1454. à quo hodierni Eylenburgii descendunt,  
(alias & antea videlicet An. 1438. Pott ab Eylenburg Equ. Ord.  
Theut. fuisse dicitur.) SCHLIEBENII quoque eodem tem-  
pore in Prussiam sedem suam transtulerunt. Nam An. 1460.  
Georgius à Schlieben primus familie hujus in Prussia funda-  
tor, Magistro supperias latus huc accessit. Sub eadem  
tempora RAPPIORUM nomen in his terris auditum est:  
Nam Eustatius Rappe tum apud Livonos Capitaneus fuit

arcis Frauenburg, cuius filius in Prussia habitavit. CREUZIORUM familia Miñica est. Primus ex hac familia Prussiae incola fuit Melchior à Creuzen qui cum Friderico Duce Sax. & Mag. Ord. Theut. in Prussiam se contulit. Ex qua familia hodie est Per. Illustr. ac Generosis. Dn. Dn. ABRAHAM JOSAPHAT à CREUZEN, supremus Prussiae Marschalcus. Cum Illustr. Alberto March. Brandeb. Mag. Ord. Theut. & postea Primo Duce Prussiae multæ nobiliss. familiæ, quæ adhuc supersunt, in Prussiae domiciliū suū transtulerunt, ut TRUCHSESSII Liberi Barones à Waldburg/ quorum primus fuit Fridericus S.R. Imp. Dapifer hereditarius & L.B. in Waldburg. Deinde Liberi Barones zu Rittlitz Silesii, quorum primus Prussiae nomine hoc intulit Henricus L.B. zu Rittlitz. Inde Liberi Barones zu Heydeck / quorum primus fuit Wolfgangus L.B. zu Heydeck Francus. Item SCHENKII Liberi Barones zu Cautenberg/ quorum primus Christophorus Schenk zu Lauenberg. KALKSTEINII eodem tempore huic commigrarunt. POLENTII quoq; sub D. Alberto Prussiam intrarunt ex Lusatia, quorum primi fuerunt Joannes à Polentz & Georgius à Polentz qui factus est Episcopus Sambiensis. Tempore Alberti etiam BORKII ex Pomerania in Prussiam venerunt, quorum primi fuerunt Joachimus à Bork Supr. Marschall. & Antonius à Bork Capitan. Brandeb. HAUSIORUM primus fuit Antonius ab Hausen. HALLII quoq; sub D. Alberto adhuc Magistr. Ord. in Prussia innotuere, quorum primus Paulus ab Halle ex Ducatu Brunsvicensi in Prussiam descendit. PUDVELSII sub Alberto jam Duce Prussiae ex Pomerania Prussiae intrarunt; Primus fuit Matth. à Pudvels, à quo Pudvelsii Prussici prognati sunt. NETTELHORSTII sub Serenis, Georgio Wilhelmo El. & Duce Prus. ex Curlandia sedem suam in Prussiam transtulerunt, quorum primus fuit Christophorus à Nettelhorst Aulæ Marschalcus & Capitan.

Neu-

Neuhaus. & Labia. Generosi atq; Nobilissimi Domini Re-  
spondentis avus. Prima autē gentis hujus origo est ex West-  
phalia. Sub Serenisf. Friderico Wilhelmo Elect. & Duce  
Pruss. Dornino nostro Clementissimo indigenæ facti sunt,  
Liberi Barones à SCHWERIN ex Pomerania. Liberibarones  
ab HOVERBEK ex Brabantia & Liberibarones à DOBRZINIEC  
ex Bohemia. Item De la Cave ex Gallia. Noldii ex Curlan-  
dia genus suum ducentes. Sunt autem aliae adhuc Nobilissi-  
mæ familiae Germanicæ, quarum initia Prussica libentissimè  
quidem annexeremus, si Genealogiæ ipsorum ad manus  
essent. Jam tantum nomina quarundā apponemus. Florent  
verò adhuc in Prussia Ducali, Comites Denhofii. Prökii. Eppin-  
geri. Rauschkii. Troszkii. Königsekii ex Svevia. Oelschnitii. Bran-  
dii. à Diebes. Lehwaldii. Rippii. Brumsii. Hondorfii. Korffii. Gözii.  
Rosen. Schönäichii. Sakii. Lehdorfii. à Gröben. Canizii. Ber-  
bersdorfii. ab Auren. Kubnheimii. Rauchii. Litwizii. Glaubizii.  
Pflanzii. Bodenbruchii. Præmbokii. Hauchwizii. Pakmorii. Egloff-  
steinii. à Medem. Von Delssen. Taubenecker. à Tieseln. Von  
der Albe. Von der Trenck. Lözen. Milvii. à Thalau. à Schlu-  
busch. Cannacherii. Weselii. à Knoblauch. à Pilgrim. à Por-  
tugall. Wolframsdorffii. Willimsdorffii. & alii plurimi. Sed  
& aliae adhuc superfunt antiquissimæ familiae, quæ ex Veteri  
adhuc Prussica nobilitate putantur esse oriunda. Ejusmodi  
sunt, familia KALNEINIORUM, ex quâ hodiè est Per-  
lustr. atque Generosisf. Dn. Dn. ALBERTUS à KALNEIN Su-  
premus in Prussia Burggrabius. LESGEWANGIORUM.  
PERBANDIORUM. PARTEINIORUM. PRAXEINIO-  
RUM. MALGEDEINIORUM. MEERKIORUM. Desie-  
runt autem jam multæ Nobilissimæ familiae, quæ olim ma-  
gnis in Prussia functæ sunt dignitatibus, ut Bay seniorum. No-  
striorum. Alexwangiorum. Derer vom mercelichen  
Nade. & aliorum.

COROL-

# COROLLARIA.

## I.

**Q**uod hodiè non dentur tot gentium migrationes ut olim, faciunt terræ hodiè magis excultæ, quæ facilius se alere posunt, præsertim defectum tot navigationibus & mercium transportationibus supplentibus. Regna etiam cultiora habent plures munitiones quam olim, adeò ut illis gentes adventantes facile repelli possint. Mentis autem humanæ mobilitas & vagandi libido singulorum peregrinationibus defervescit. Vid. Seneca in Consolat. ad Helv. cap. 6.

## II.

Mare eodem modo ut terram occupari & imperio alicujus subjici posse arbitramur.

## III.


Nimis priscè loquitur Machiavellus lib. 2. Disp. in Liv. c. 10. cum pecuniam esse belli nervum negat.

## IV.

Item, quando lib. 2. cap. 24. munitiones Rebus publ. inutiles esse putat.

*SOLI DEO GLORIA.*





Hi

